Codex hic, ſiue Tomus, & elegans eſt, & eruditus, denique & Catholicus, ac planè dignus qui typis excuſus in publicum exeat.

Ita atteſtor F. Petrus Bacherius S. Theologiæ Licentiatus, Prior apud Prædicatores Hagenſes.


Codex hic, ſiue Tomus, & elegans eſt, & eruditus, denique & Catholicus, ac planè dignus qui typis excuſus in publicum exeat.

Ita atteſtor F. Petrus Bacherius S. Theologiæ Licentiatus, Prior apud Prædicatores Hagenſes.

APOLOGETICVM
AD GERMANOS, PRO SOLIDA ECCLESIARVM IN VNA CHRISTI FIDE VERE EVANGELICA CONCORDIA:

Auctore Reuerendiss. D. Wilhel. Damasi Lindano, Dordraceno, S. D. Ec. Ruremond. Episcopo.

TOMVS SECVNDVS.



ANTVERPIAE,
Ex officina Christophori Plantini.
M. D. LXIX.

REVERENDISSIMIS IN CHRISTO PP. ET ILLVSTRISSIMIS DD. ARCHIEPISCOPIS ELECTORIBVS, EPIscopis, amplis. D. Otthoni Trucsessio, Episcopo Augustano, S.R.E. Card. aliisq. ad vnum omnibus S. Ro. Imperij Principibus, Abbatibus, Proceribusq; Ecclesiasticis, Salutem in DO. N. IESV Christo, sedulumq; pacis in vna Christi fide; pietatis Apostolicæ in morum reformatione; ac indefessum pro Germaniæ cum Dei Euangelio per D. Thomam Apost. aliosq; iam pridem annunciato concordia studium,

WILHEL. DAMASI LINDANVS.



RAECLARE *admodum, multòque verissimè illud vulgò dicitur Reuerendis. in Christo Patres & Illustrissimi DD. eisdem rationibus rem quamq; conseruari, quibus initio parta atque coalita creuit.* Eadem ratione res magnæ atq; præclaræ conseruātur, qua sunt partæ atque initiò confectæ.

Quod vt in Republ. citra omne dubium quotidianis videmus exemplis vsuuenire: ita & in rebus Christianæ Religionis proprijs non minus locum habet.

Etenim quemadmodum vinea licet fœcundissima atque vberrima, nisi quotannis nouo labore in orbem vinitoribus acto ritè colatur, sarriatur, auerrūcetur, pastinetur, putetur, collucetur; non solùm manet sterilis, aut infrugifera; sed in labruscam etiā opinione citiùs degenerat: ita & vinea domini Sabaoth, quæ domus Israhel est, siue populus Christi sanguine Esa. 5. *ad Dei visionem renatus atque redemptus, nisi legitimè colatur, maximoque studio curetur, in similia, immo deteriora degenerationis, certíque interitus adeò vitia incidat necesse est.*

Porrò quanā ratione hæc olim florentissima Dei Sabaoth vinea in Germanias fuerit ex Ægypto diabolicæ seruitutis,

 spiritua-

ſpiritualiſque idololatrias ante annos plus minus 800. tranſlata, quibus laboribus plantata, quibus artibus culta, quibus ſudoribus irrigata, quibus denique ſtudiis in hanc vſque arboris vt pulcherrimæ, ita multò proceriſſimæ ſpeciem perducta; notius eſt, quàm vt hic fruſtrà ſit commemorandum. Quæ vbi ſuis culta floreret artibus, quàm vberes atque copioſos, longéque gratiſſimos per annorum centurias circiter ſeptenas aut octonas Deo opt. Max. protulerit fructus: ecquænam eloquentia enarrare, ſuisque encomiis celebrare ſuffecerit, aut prædicare?

Cauſſæ collapſæ apud Germanos Eccleſiæ vitia Cleri.

Verùm vbi ante annos ferè 50. agricolarum labor cœpit elangueſcere, vineæ iſtius neglectus inualeſcere, palmites luxuriare, vinitores dormitare, ouium Chriſti cura quibuſdam præſtulta opum periturarum admiratione, & inſano voluptatum ſtudio ſordeſcere, quidnàm obſecro euenit? ecquid obſecro putes aliud, quàm quod in neglecta vinea, licèt nobiliſſima multoque generoſiſſima, neceſſariò eueniat, ſi non colatur, ſarriatur, repaſtinctur?

An non ad viuum nunc per Germaniam noſtram (eheu infœliciſſimam longéq; miſerrimam!) videmus expletũ, quod olim Judaicæ quidem Synagogæ, ſed in noſtræ Eccleſiæ typum Dominus Sabaoth per diuina Prophetarum, immo filij ſui oracula fore eſt comminatus?

Eſa. 5. Matth. 21. Marc. 12. Lucæ. 20.

Auferã ſepẽ eius, inquit, et erit in direptionẽ: diruã maceriẽ eius, et erit in conculcationẽ. Ponam eã deſertã, nõ putabitur, nõ fodietur. Turrim exſcindã, et vineã meam locabo aliis vinitoribus, qui fructum reddant in tempore ſuo. Placuit olim Deo opt. vineã ſuam electam in magna noſtra Germania ſingulari piorũ hominũ ſtudio plantatã, diuino rore gratiarũ omniũ cæleſtium irrigatam, roſeo martyrum non paucorũ, nec obſcu-

obscurorum sanguine pastinatam constituere; vina etiam sepe piorũ Principum obmunire, tutoq; præsidio cingere, immò & macerie contra infestos hostes vndiq; obducta obuallare. An nõ firma prorsus fuisset Ecclesiæ Dei hic conseruãdæ maceries, tam immensæ opes à D. Carolo illo magno, aliisque piis Principibus nostris maioribus Ecclesiastico ordini donatæ? tot arces extructæ, tot inuicta tuendæ pacis atque conseruandæ tranquillitatis publicæ præsidia vobis in manus tradita, si suum ad vsum finemque legitimum fuissent adhibita?

Quàm olim fuerit lõgè cultissima per Germaniã Dei opt. vinea.

An vlla vsquam, quacunque orbis patet habitabilis, reperiatur prouincia, quæ tam firmis, tam solidis fuit & intus & foris instructa suæ salutis, publicæque tranquillitatis tuendæ præsidiis? an vsquam leges magis salutares? an vsquam collegia religiosius instituta; aut studiosorum scholis, linguarumque cognitione instructiora? an vsquã maior, aut fidelior subditorum suos in dominos obedientia, fides, deuotio? Denique ne quid ad suæ vineæ cultum, ornatumque supremũ deesse videretur, Dominus ille Sabaoth, cuius in manu sunt omnium iura regnorum, & cui vult ea donat, suæ isti Germaniæ lectissimæ olim vineæ etiã Ro. Imp. gloriã singulari pietatis verè paternæ munere largiri voluit: vt Turrim illã siue speculã, de qua est apud Prophetã, nemo posset meritò desiderare: hæc aũt omnia Dei opt. Max. ornamenta sanè eximia, præclara profectò beneficia, deniq; singularia cum primis prærogatiua, dum vineæ dominicæ cultores suo erant in officio, stabant atque florebant, lætissimoque ipsum Deum & homines recreabant desideratissimorum fructuum prouentu. Verùm vbi vnà cũ mundi istius non tã sua mole ruentis, aut senio delirantis, quàm nostra cõscelerata malitia intereuntis lapsu maior hominũ Ecclesiasticorũ mentibus incessit regnãdi libido,

Vide Albert. Cranzium histor. Ecclesiast.

Esa. 5.

 libido,

libido, quàm docendi; maior principatus ciuilis, quàm Ecclesiastici ordinis cupido; maior denique vanis mundi delitiis fruendi, quàm officium ſacerdotale præſtãdi amor totos quoſdam occupauit, ruere mox omnia, & retrò ſublapſa referri.

Quod qui ſynceris, nulloque ſuffuſionis glaucomate, aut lema laborantibus oculis intueri velit, nulla iſtud, meo quidẽ iudicio, pictura ei oſtẽdat clarius, aut exhibeat viuidius, quàm hodierna nobis deploranda, vereque Tragica noſtræ Germaniæ calamitas. Agnoſcet enim illud ſacri Dauidis oraculum, Pſalmi 79. threno depictum, tam eſſe in Germanico Imperio ad viuum propè expletum, vt nuſquam magis, vno excepto Iudaïcæ perfidiæ ſpectaculo omnium infeliciſſimo. Vt quid deſtruxiſti, ait, Domine, maceriem eius! vindemiant eam omnes, qui prætergrediũtur viam! exterminauit eam aper de ſilua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam! Etenim deſtructa macerie, quæ piis à maioribus fuit huic electiſſimæ Domini Sabaoth vineæ per leges politicas, immo potius Eccleſiaſticas, quacũq; ex parte circundata, cœperũt eã vindemiare omnes, quotquot viã illã antiquã et auitã à Chriſto, eiuſq; Apoſtolis in Germaniam olim deſtinatis præſcriptam prætergrediuntur, ac in aliud peruertunt Euangelium. Videte tandem, obſecro vos, videte veſtram cladem, viri Eccleſiaſtici, Patres Reuerendiſſ. & fratres chariſſ. ecquænam Eccleſia totum per Imperium ſuperſit ſalua (excepto Belgico, & quadam Norici parte) quæ non miſerè ſit tanquam vinea dilacerata, & dilaniata, immo, vti Propheta prædixit, verè vindemiata? an non plures pleraſque per prouincias, Eccleſiæ agri ſunt ſublati, quàm relicti? an non maior decimarum, aut vinearum nonnuſquam pars ſubtracta, quàm ſupereſt vobis ſalua? an non plures Abbatiæ vt potentiſſ. ita opulentiſ.

Clades Eccleſiæ per Germaniam quanta. Pſalm. 79.

atque

atque locupletissimæ sunt abreptæ, deuoratæ, euersæ? At cur istud obsecro? Dum enim vineæ cultores suo seruirent potiùs pigro ventri, impuræ gulæ, insanæ Veneri; non vti par fuit, suo Domino isthæc largienti Christo, ecquid restabat, nisi vt cederent fisco?

Sed quidnam vlterius subsequutum? sane aliud non potuit, quàm quod diuinum prædixit oraculum: nimirum vt sublato diuini præsidij muro, auxiliíque propugnaculo, exterminaret eam aper de sylua. Donec enim ille impuri vt nominis, ita & oris incæsti Lutherus antiphrasticῶs sic verissimè dictus, indubia Germaniæ pestis, certáque pernicies, monachali latitaret cucullo, donec homo castissimus suis illis bis incestuosis in nuptiis cum sua bellula illa Bornica, publica prius, isti quàm nuberet Apostolo, studiosorum amasia, saltaret hilariter, magnam plerisque præ se ferre visus fuit pietatem, verumque instauraturus Christi Euangelium.

Vitam cleri impuram sacrorũque neglectũ lugenda hæc sequitur Germaniæ calamitas.

Lutherus ab impuro sacra prophanãdi studio habet nomen Lauther.

Sed vbi exterminare, siue vti psal. habet λυμαίνεσθαι vastare ac profligare vineam Domini cœpit, Christi sacramenta eleuando, mysteria prophanando, dogmata subruendo, sacrosanctas verbi Dei Scripturas peruertendo, deprauando, mutilando, tum demum apparuit aper verissimus de sylua, id est sæuissimæ feritatis iuxta ac funestissimæ atrocitatis; Aper, inquam, ille acerrimus incesti oris et impuri nominis, vera suæ Saxoniæ calamitas, sontica Germaniæ pestis, indubia orbis Christiani pernicies Martinus Lutherus: qui violatis Monasticæ vitæ repagulis, in nuptias præcipitatus bis incestuosas, tutam Dominicæ vineæ sepem perrũpens, magnã profectò huic electæ Domini vineæ attulit cladem. Vbi namque Ro. Pontificis, qui eum Sathanæ ob renouata, partimque ementita blasphema tradidit dogmata, odio quasi œstro percitus

Lutherus verè aper de sylua & arctolyces vastat vineã Domini Sabaoth.

Caussæ cur iustissimè Lutherus excõmunicatus: cuius dolore in Ro. Pontificis rabiẽ versus.

fuit,

fuit, planè totus rabidi apri instar orbi sese demonstrauit in dispergendas Christi oues arctolycum sæuum, rabiosum, furiosum.

Hæc exemplis admodum viuis demóstrantur dialogis Dubitátij, & de tranquillitate animi.

Quin imò hîc efferata eius rabies consistere non potuit. Siquidem & illud re ipsa expleuit, quod propheticus prædixit threnus, Singularis ferus depastus est eã. videmus enim, eheu dolor! tot nobilissimas Imperij Ro. prouincias sæuissimi istius latéque grassantis apri dentibus depastas, vera Dei luce priuatas, crassissima mēdaciorum caligine demersas, humanæ doctrinæ præstigijs captas, excæcatas, dementatas. Sed benignus ille Dei opt. spiritus, qui calamitatem istam suis prædicere dignabatur, remedia item salutaria non inuidit, neq; tacuit. Nam his malis omnibus vnum superesse remedium ostendit, vt ad Dominum Deum Sabaoth ex animo reuersi concorditer oremus, quod suo ore docere non est dedignatus. Deus virtutum cōuertere! respice de cælo, & vide, & visita vineam istam! & perfice quam plantauit dextera tua! Si enim Deus optimus max. vobis seriam ac legitimam suæ vineæ visitationem cælesti suo spiritu semel afflauerit, nō deerunt consilia vineam istam perditam recuperandi, euersam instaurandi, exterminatam replantandi, atque repastinandi.

Remedia depellendis calamitatibus Dei opt. benignitas piis dignatur exponere.

Non enim deerūt vobis cooperarij ex præclaris aliquot studiosorū collegiis (quæ verissima sunt simul & certissima pietatis instaurãdæ seminaria) deligendi. Quid igitur, inquias, impedit Ecclesiarum Germaniæ instaurationem, si nō desint quæsiti Dominicæ messis operarij? Non defuerint, inquam, operarij iusto stipendio, congruisque honoribus seriò quæsiti. Sed animus nobis deest officij sui verè studiosus, qui vera in Deum pietate accensus, ardentíque ouium sibi creditarum (pro quarum sanguine erit aliquando illo seuerissimo Dei iudicio

dicio

dicio cuique nostrum reddenda ratio) amore inflammatus le-
gitima necessariaque fame dispereuntibus suppeditet alimen
ta; quibus illæ pastorum incuria neglectuque afflictæ ad sani-
tatem pristinam redeāt. Si Catholici eam adhiberemus diligen
tiam, quam videmus, pro pudor! istas reipubl. Christianæ pe
stes, Anabaptistas, Libertinos, Caluinistas suis impēdere hir-
corum à Christi grege segregatorum caulis, an nobis successu-
rum minùs quis meritò diffidat? Illi certo capitis periculo au
dent vel per prouincias, vbi vigilantissima, immo pretio in-
dicta constituitur in eorum caput custodia, suos quotānis, id-
que sæpiùs, visitare, synaxes sacrilegas cogere, cænas propha-
nas easque frequētissimas celebrare: nos in vera salutis æter
næ doctrina aut serēda, aut rigāda languemus, dormitamus,
stertimus, desperamus. Videmus aduersarios contra leges ma
iorum, contra ius publicum, contra sua adeò Imperij Romani
decreta quotannis non solū bona Ecclesiastica surripere, Ab-
batias confiscare, pios verosque Dei cultores vexare, oppri-
mere, exturbare: sed omnem etiam repetundarum iuris expe
reundi viam præcludere.

Collatio diligētiæ Catholicorum & aduersariorum.

Illi tam ingentibus impensis ferè quotannis suos habent
conuentus, sua celebrant ferè Augustalium instar comitia:
nos tantum malum indies inualescens, immo in horas nostra
inter viscera exardescens, cæci non videmus, stertentes non
sentimus, oscitantes nō animaduertimus. Meministis quan-
to sumptu, quanta diligentia ad euertendā Christi Ecclesiam
pridem illi noui Euangelici Bonnam confluxerant. Vnus ille
N. in Ecclesiæ perniciem non dubitauit omnem mouere lapi-
dem, nullis deterritus impensis, nullis fractus laboribus, nul
lis coërcitus periculis, an nos rationes nostras nobis constatu-
ras apud Dominum Deum iudicem arbitrabimur, quòd mi-

Exhortatio ad seriā vineæ Domini instaurationem suscipiēdam: & qua ratione facillime fiat.

nùs pro conseruanda Dei domo fecerimus, quàm ille ad labefactandam, destruendam, funditúsque euertendam?

Quòd si minùs illud vos terret iamiam singulos vrgens tremendum Dei iudicium, præsentia saltem pericula, obsecro vos per Christũ Iesum, accuratiùs perpendite, atq; viuidiùs cum aliquo animorum vestrorum sensu considerate. Ecquid futurum tandem creditis, o viri Ecclesiastici, dum paulatim vrbis plumæ tanta dignitate, tantisque opum prouentibus decoratæ euelluntur? tam nobilia vestri collegij, corporísque Ecclesiastici membra decurtãtur, immo ad viuũ præcidũtur?

Nouerat ille nugator in apologo caudam equinam singulis euulsis pilis totam tandem euellendã. An non & vobis idem euenturum præsentiscitis? an vos iam nũc vestris armis oppugnari, ac tantum non expugnari nondum videtis? an non vestris opibus, vestris prouentibus, vestris denique præsidiis ipsos passi estis fieri propemodum insuperabiles?

Quos verò in Clerum gerant animos, quidnam vobis moliantur, si ex domesticis ipsorum in vos studiis nondum didicistis, satis superque doceat Gallicus ille, & Belgicus noster motus, dudũ ab impurissima sectarum omnium colluuie concitatus. Quibus enim laquei erant parati? quibusnã sicæ? quibusnam vesperæ, quas vocant, Siculæ, dictæ? quibusnam dies passim fuit lanienæ destinatus? An non & vobis idem exemplum metuendum? an non eiusdem omnes creditis ingenij, qui illum omnes eundem patrem habent, quem veritas ipsa dixit fuisse ab initio homicidam? Iohan. 8.

Ecquid igitur, obsecro, adhuc cũctamini salutaria adhibere consilia, quibus incendiũ istud exitiale maiores in dies colligẽs vires, certò & vos et nos absumpturum (ni occurratis tempestiuè) vel tandem cohibeatur, aut saltem sistatur, si extinguendi,

tinguendi, sopiendíue nõdum spes est? Certè si legitima cogeretis Ecclesiastica concilia, quorum, teste D. August. semper saluberrima est in Ecclesiis authoritas, non foret difficile, quod nunc plerisq; malè consultis videtur impossibile.

Errantium numerus ingens est; fateor. ac propemodũ, heu dolor, infinitus. Sed non est resina in Galaad? vti ait Propheta. An manus Domini est abbreuiata, vt saluare nequeat, aut pristinum suæ vineæ reddere statum saluum, incolumem, florẽtem? minimè omnium, viri Ecclesiastici, minimè. Sed aderit pius laborantibus, fauebit propitius vineam suam repastinantibus, atque opera indefessa excolentibus. Alioqui proculdubio expectate, quod Iudæis Do. Christus cõminatus est, atque ipsa re expleuit. Dabitur, inquit, genti facienti fructum eius. Idem & vobis dictum accipite. Cuius rei præludium videte obsecro, an non Deus opt. max. iam nunc rebus ipsis agere cœperit hoc in amplissimo spectabilis orbis theatro. Posteáquam enim diuino permissu fera illa pessima, quæ Dei filios electissimos disgregauit, mactauit, deuorauit, orco, æternoque inferno mactatos tradidit, sua fuit pro libidine, immo rabie in hanc Dei vineam Germanicam grassata, vbi iam illa non leuiter iaceret afflicta, magnáque ex parte exterminata ac tantum non euersa, placuit eidem Deo opt. max. cui omnes ad nutum parent orbis nationes, nouum suo Euangelio à Germanis partim deriso, adulterato, repudiato, aperire Orbem; qui diuinum suum nomen per Germanias atrocissimis iniuriis vexatũ, impiisque blasphemiis violatũ legitimo veneraretur honore atq; digna coleret veneratione. Quid deinde? paucorũ sanè monachorũ, quos tã rabidè exosos misera habet Germania, paucorũ inquã monachorum Dei cultorum opera plures per Indiam nouumque terrarum

Infinitæ errantiũ nationi non deest medicina, modò legitimè adhibeatur.
Ierem. 8.
Esa. 59.

Lucæ 20.

 orbem

orbem sibi conuertit credentium myriades, quàm per Germaniam fortassis pereant centuriæ; licèt hæ prorsus etiã videantur innumeræ. Qui illinc reduces veniunt, sex milia monasteriorum aiunt extructa, vti olim apud Ægyptios initio Christianismi; adhæc fere 600. Christi ouibus Episcopos creatos.

Qualis metuenda Germanis Lutheranæ tragœdiæ Catastrophe, ni occurratur tempestiuè.

Sed quidnam his veluti ex proscenijs tandem est consequuturum? Ecquænam fabulæ, immo tragœdiæ huius futura est Catastrophe? an aliud, quàm quod Christus Iudæis comminatus iam pridem præstitit, idem & nobis aliquando (ni ad mentem & suum quisque redeamus officium) certò sit euenturum? Regnum Dei iam pridẽ ingratis atq; infœcundis Iudæis ereptum, nobis gentibus, paganisq; datũ: vbi hoc illi respuissent, Dei cultores iniuriis lacessiuissent, vereque dilaniassent, diuinum Dei opt. max. nomen Christiana Religione colendum blasphemiis sacrilegis affecissent. Vt ergo tunc naturalibus non pepercit ramis, an istis parcet insititiis ad illorum exemplum veram Euangelij Christiani doctrinam respuentibus, veros Dei cultores, Sacerdotes, Monachos, Sanctimoniales vexantibus, affligentibus, opprimẽtibus, eiicientibus, atque in his miserum ereptis facultatibus, auitisq; possessionibus, exilium expellẽtibus? Non tulit inultum Carthago vrbs, Romæ quõdam æmula, maior ipsa aliquando gloria, opibus præstantior, honore illustrior, cùm Dei seruos monachos (teste diuo Saluiano lib. 4. de iudicio suorum temporum) plateatim vexaret, nominatim per compita lædoriis compellaret, contumeliis infestaret: an vobis impunè cessuram existimatis tam immanem vim Dei cultoribus tot per annos illatam? an pauperum lachrymas nunquam speratis patri orphanorum & iudici vindicique viduarum exaudiendas?

Roman. 11.

Vide D. Saluianum lib. de Iudicio.

Sed

Sed dicat aliquis, Electoria celsitudo, sacerdotalis dignitas, principalis excellentia facilè præsentem Germaniæ statum tuebitur tranquillum, certaq; Ecclesiæ Dei successio infausta ista omina facilè depulerit.

Olim Iudæi iactabant tẽplum Domini: nunc Hypocritę suos crepant titulos Imperij & Ecclesiæ.

Scilicet, tam facilè atque tutò, quàm olim Iudæos à comminatis dudum plagis illa vox verè pharizaïca, templum Domini! templum Domini! templum Domini! vt enim illi suarũ cupiditatum, auaritiæ, libidinis, inuidentiæ, omnis deniq; improbitatis satagebãt, nihil pensi ducẽtes ecquid de diuinis fieret mãdatis, modò suæ ipsis essent leges saluæ, ac traditiones humanæ ad quæstum multò vberrimum comparatæ starent incolumes: ita & nunc, nisi alia ineatur ratio, collapsam potiùs quàm labefactatam isthic Religionem puritati suæ, natiuæque castimoniæ vindicandi, offendicula intolerabilia tollendi, officium denique legitimè præstandi, viderit quisque quonam pacto poterit illas nobis plagas Dei ore fallere, nescio, comminatas euadere.

Ierem. 7.

Verùm tamen bona spes nos habet plerosque omnes Ec. præpositos atrocissimis Germaniæ patriæ nostræ suauissimæ plagis admonitos, Torpatensis Ecclesiæ opulentiss. ac Lithuaniæ exemplo longè miserrimo perculsos, suisque adeò damnis domesticis adactos, periculis denique certò in dies impendentibus coactos de curando legitimè atque verè tandem pascendo grege dominico iam fore solicitos. Ad quod pij pastoris officium præstandum, videlicet sanandi oues Christi languidas, colligandi afflictas, fouendi laceras, reuocandi palabũdas, ne iusta & facilis desit ratio, varia vobis sunt ineunda consilia: serioq; dispiciẽdum quibusnam remediis vtendũ potissimum, vt isthæc pij pastoris officia sedulò & obnixè carissimis Christi Domini ouibus præstanda salutariter impendantur.

Variæ ſiquidem ſunt populi veſtræ fidei crediti peſtes, quarum vt numerus propè eſt infinitus; ita quælibet Chriſtiano gregi pernitioſa, certoque exitialis & interneciua.

Nondũ eſt deſperandũ de ſananda Germania, licet variis ſectis contra ſe diſſecta.

Verùm non tã eſt morbus iſte ſonticus, vt ſit incurabilis: non tam deploratus, vt ſanari nequeat: non ita deſperatione plenus, vt nihil remedij ſalutaris admittat. Stolida enim iſtorum deſperationis authorum conſilia mihi prorſus probari non poſſunt: qui ad Galeni aut Hippocratis exemplum in morbis deploratis nihil adhibẽdum volunt remedij humani; ſed naturæ relinquenda omnia. atqui alia corpus, morbo affectum ſanandi ratio; alia mentem errore obnubilatam: alia etiam morborum corporis remedia, alia animorum.

Quanquam enim longè lateque toxicum iſtud Euangelicorum ſanè virulentiſſimum ſit diffuſum, plurimoſque tabe ſua verè peſtilentiſſima infecerit, vitalia erodens atque tantum non abſumens: non tamen deſunt, Deo opt. gratia immortalis, qui genua ſua non curuauerunt ante veriſſimos iſtos Baales, vel ſeptem milia qui (ſi in capita ſupputentur) numero illis non ſint fortaſſis impares futuri.

Ingẽs Catholicorum per Germaniam numerus: ſectariis nõ inferior, neque impar.

Huc accedit quod non eadem omnes lues contaminauit, non eadem virulentia omnes afflauit; ſed vti mendacium ſemper ſua eſt natura multiplex ac varium, quia ſimplici à veritate diſſonãs: ita varias in ſpecies diſtracti nõ modò ſentiũt diuerſa, ſed ſibi etiã pugnãtia, adeoq; ex diametro cõtraria quæ vel ſuo colliſu mutuo tandẽ enecẽt ſeſe ipſa, atque ſemel de medio tollant. Quod enim de aconito veteres memoriæ proditum reliquere, hic veriſſimè locum habet. Vt aconitum hominem occidat, niſi inuenerit, quod in homine perimat; cum quo ſolo colluctatur, velut pari intus inuento, atq; ambo per ſe exitialia mutua commoriuntur lucta, vt homo

Illuſtri aconiti exemplo demõſtratur facillima perinde ac certa Germaniæ ſanatio.

ſuper

superſit: Ita in iſtis longè peſtilentioribus animorum aconitis vſu venire aliquando eſt animaduertere. Complures namq; recens ſectatos doctrinæ genus vbi ſuis indulſiſſent ad quoddam tempus cum animi cupiditatibus, tum corporis voluptatibus, lata iſthac Euangelij noui via belle monſtratis ad reſipiſcentiã rediiſſe eſt deprehenſum, quòd ſuo admoniti malo plerique vltrò ad mentem redierint, qui videbantur anteà vel omnium deploratiſſimi, ſuoque iudicio puri puti Euangeliciſſimi, atque Eccleſiæ (vti arrogantiſſimè iactabant) reformatæ omnium probiſſimi.

Vide Plin. natur. hiſtor.

Et quidem conſideranti mihi quanã ratione innumeræ, funeſtæq; iſtæ Germaniã miſerrima facie diſſipantes atq; diſturbantes ſectæ exſcindãtur, non rarò in mentẽ venit admirari cæleſtem Dei opt. max. prouidentiã omnium gubernatricem: quæ tam eſt nouo in dies miraculo omnipotens, vt vel ex malis longè peſtilẽtiſſimis ſaluberrima ſubindè ſuis electis conficiat pharmaca. Certè ſi Dei opt. max. benignitas huic populo animi oculos reddere dignaretur, non parum ad ſolidam animorum ſanitatem recuperandã aliquando conduxerit & iſtud remediũ, ſuo ipſorum ex malo petendũ; nimirũ vt variis iſtis, iiſdẽq; abſurdiſſimis conquaſſatus atque colliſus opinionibus in ſe ipſe frãgatur, animi ferocitas hebeſcat, errãdi libido deferueſcat. Quo enim craſſiores Cacodæmõ iſtius tragœdiæ choragus, atque omnis Germanicæ iſtius verè paricidalis diſſenſionis fax, ſpargit errores, aut fœdiores ſerit opiniones, hoc plaga erit aliquando electis Dei filiis ſanabilior: vt non dicam pleroſq; (quòd cõpluſculis ſumus gratulati) ad ſanitatẽ, varios licèt poſt variarum peſtium paroxiſmos, vltrò redituros atq; adeò feſtinantiùs properaturos. Quod vt vero appareat ſimilius, non leui argumento fuerit et illud obſeruaſſe nanquã ab Euan-

Quò craſſiores fœdioreſque cacodæmon per Germaniam ſerit errores, hoc ſanabilior: ſi docta medicorum accedat manus.

ab Euangelij exordio tam absurdam simul & crassam, pinguisque naris, ac planè rusticanam, deprehensum atque euitatu facilem errorum luem fuisse grassatam, quàm nunc infelicissimo hoc nostro seculo. Talem namque diuinæ iræ plagam degeneres ac brutescentes populi Christiani mores & per Germanias & per Gallias delitijs ventris sui deditißimi, mundo suis cum vanitatibus pereunti deuotissimi, vitijsq; carnalibus perditissimi efflagitasse videntur.

Verùm si huic remedio, quod Deus opt. ma. vt in aconito, ita et in errorū animi venenis naturaliter aliquādo immittere videtur, humana pij pastoris accesserit industria, quæ densissimas illorum errorum, quibus excæcati detinentur captiui, suæque salutis sunt ipsi infestissimi hostes, detegat caligines, ostendat absurditates, demonstret impietates, magna sanè facilitate plurimi ad animi sobrietatem, mentisque noua pestilentium opinionū epidimia euersæ reuocentur sanitatem.

Sed inpræsentiarum non est de omnibus istarum pestilitatum generibus dicendi locus. Solùm namque de iis modò agitur, qui Confessionem sese profitentur sequi Augustanam: qui vt non modo suis quoque sunt dissecti opinionum dissidijs planè capitalibus: ita non ignobiles aliquot ipsorum Ecclesiæ nouum minimè dissimulanter sectantur Euangelium, quod suo à Luthero Confessionis Augustanæ magistro dudum fuit certissimæ hæreseos, Diabolicæque impietatis damnatum. Svvinglianos dico & Sacramētarios, varij admodum nominis omnes tam nouos, quàm veteres: vt alios nunc silentio pretereamus. Isti autem Caluinizantes vt extra Germaniam facilè vincunt ingentes Lutheranorum turbas: ita & in ipsa quoque Germania sese tantos progressus iam pridem fecisse gloriantur, vt de veritatis suæ (si superis placet) victoria,

Lutheranos passim degenerare in Caluinistas, quos Lutherus damnat manifesti furoris & impietatis.

Confes. Mansuelden. Illyr. cōtra Victorinū.

ctoria, & de ruina papatus Saxonici, id est Lutherani pseudo Euangelij, Paeana canere non dubitarint.

Quod esse multò verissimum Illyricus ille cum suo coniuratorũ manipulo, Germaniæ Dauus atque fax flagitiosissima tragicis boatibus deplorat, non subticens vel primarios Confess. Augustanæ duces Caluinistis apertissimè fauere: immo se suosque hac etiam de caussa fuisse Jenensi academia expulsos. Aliis etiam de causis suo Lutheri Euangelio tristem ominatur ruinam, idque admodũ breui, tetricus ille Sarcerius, vna cum suis illis Symmistis Confessionis Mansvelden. varias Lutheranorum sectas condemnantis authoribus

Præfatione v. Centuriæ. Illyricus cum suis boatu tragico deplorat Lutheranismi ruinam: vt & Erasm. Sarcerius Confes. Mansfeld.

Suis ergo vulneribus iam passim per Germanias corruit, aut, vt veriùs dicam, in pestilentiorem degenerat pestem Lutheranismus, Confessione Augustana olim orbi propositus: cui sanando, si docta, si sedula medicorum spiritualium accesserit manus, equidem minimè desperauerim, breui admodum nos lætissimam visuros istius tragœdiæ, qua pij omnes propè contabescunt, catastrophen. Si enim hoc morbo laborãtibus mansuetè proponantur, candidè aperiantur, apertè exponantur, quibus noua ipsorũ doctrina scatet, asystata, nugæ, absurda, calumniæ, mẽdacia, nullo certè negotio plurimos liceat ad resipiscentiam reuocare, atque ad Christi Dom. ouile palabũdos postliminiò congregare. Cùm enim publico suo scripto dudum Cæsari Augusto Ferdinando. F. M. Francfordiæ anno LXII. exhibito fateantur ob errores doctrinæ à vobis & Ro. Pontifice, id est à Catholica Dei Ecclesia sese necessariò discessisse, demonstratis istarum XXIIII. causarũ (quibus tota fulcitur Germaniæ, vti delecti illi Confessionistarum Patroni aiunt, discordia) ineptiis, calumniis, mendaciis, non fuerit difficile homines, vel mediocriter prudentes, suæque salutis minimè

Ex noua Cõfessionis Augustanę apologia certissimum petatur sanãdæ Germaniæ remedium.

prodigos in certum reducere sanitatis recuperandæ gradum. Videbũt enim perspicuè allatas contra nos dissidij istius tam perniciosi, totíque Germaniæ certò exitialis causas in nobis re vera non hærere: meramq; calumniam esse, quòd in vllo doctrinæ capite hic à deputatis illis Anonymis Confessionistarum Theologis atque Consiliariis politicis allegato nos Catholici doctrinam Christi contra scripturas & Orthodoxorum PP. sententias deprauauerimus, adulterauerimus, prophanauerimus: aut vti impiè blasphemant, in cultum impium, diabolicum, idololatricũ permutauerimus. Quod vt omni semel careret dubio, atque longiùs à cælo distare terrã, quàm hæc à Catholicis sunt aliena, nos in piæ matris nostræ Ecclesiæ Christi Catholicæ gratiam in singulis 24. Antitheseon doctrinæ piæ & impiæ capitibus hac pro virili conabamur toti orbi et nostræ in primis Germaniæ patriæ dulciss. demõstrare.

Prodigiosæ in Catholicos calũniæ plurimos facilè ad sanitatem reuocent: si rectè demõstrẽtur erraticis à Catholico Christi grege ouiculis.

Porrò hæc almæ veritatis Euangelicæ lux, & si omnium clarissimè in Ecclesia Christi Catholica in hunc vsque diem, Deo opt. gratia, effulgeat: tamen cur à populis vestræ fidei creditis non liquidò videatur, aut salutariter percipiatur, res duæ; quin potius, si expendatur accuratius, vna solùm obsistit. Prior est ex populi erroribus, quorum caligine mens obfuscata, aut recti specie falsa & illusa, verũ cernere nõ potest: altera, quæ prioris videtur origo, est ex doctorũ, quos ei præficitis, aut præfectos toleratis, vita impura; quæ nõ solùm nostræ professionis dogmatibus opinionẽ veritatis detrahit, sed ipsam quoque lucem propemodum vertit, iuxta Euangelicam parabolam, in tenebras: Si lux vestra tenebræ sunt, inquiebat Dominus, ipsæ tenebræ quantæ erunt?

Impedimẽta tollẽda per Episcopos, quæ facillimam Germaniæ impediũt sanationem, & in fidei vnitate concordiam.

In primis igitur dãda erit opera per quàm sedula nõ minùs quàm necessaria, vt pastorum & doctorũ Catholicorũ vita

Curandũ vt vita Pastorũ Euangelicæ respõdeat doctrinæ.

ita sit Euãgelicis moribus exornata, ne luci Euangelicæ per ipsos propagandæ vllũ obiiciatur obstaculum. Cùm enim ipsi sint lux mundi à Christo Domino & appellati & constituti, ecquid obsecro aliud necessariũ consequatur, quàm vt hoc doctrinæ Apostolicæ fulgore per densissimas vitæ ipsorũ impurissimè fuligines obscurato, si nõ vniuersa, certè pleraq; tenebræ videantur & imposturæ? Vt enim fax licet nõ parũ illustris, si fuliginosæ includatur lucernæ, adeò nõ apparet fax, vt propemodũ videatur à medio corpore minùs diaphano si non extincta, certè minùs luculenta: ita & Euangelicæ doctrinæ fulgor, si ab impuro diffũdatur lucernario, minùs inclarescit, minùs effulget, minùs deniq; illustrat. vt nõ dicã, haud raro improbos magistrorum Ecclesiæ mores purissimæ dudum luci densas aspergere fuligines, crassasque subindè offundere nebulas: quibus electus Dei populus aut imitando seductus, aut zelando offensus, veram Christi Jesu Ecclesiam deserens, diabolicis sese, odio vitãdi mali, miser tradit Synagogis. Jn confesso nãq; est, nulla in re tantũ sibi aduersarios existimare collocatũ præsidij ad suas dãnatiss. opiniones statuẽdas, nostráq; veritatis Euãgelicæ dogmata in speciẽ probabiliter conuellenda, quàm in ista impura impurorũ Catholicæ Dei Ecclesiæ magistrorũ vita, moribusq; doctrinæ nihil minùs quã cõsentaneis. Si ita esset, vti Sacerdotes docẽt, inquiũt, an aliter quàm docent, facerẽt? Si ita corde crederẽt Sacerdotes, vti ore quidem docẽt, an ita viuerent? his diabolicis sophismatibus imperita plebecula illusa, vereq; ludificata, et præstigiis fascinata nouos turmatim sequitur magistros sturnatim aduolitãtes, sibi serio gratulata, quod sibi auribus, iuxta Pauli prophetiã, pruriẽtibus cõtigerint tandẽ magistri, qui viã regni cælorũ docẽt spatiosissimã, portãq; vitæ æternæ aperiunt latissimã: quæ citra

Sophismata quibus populo seducendo illudit diabolus ex impura Pastorum vita.

 ieiunij

ieiunij labores, citra lachrymas, citra sudores, citra omnem deniq; corporis lasciui ac delicati cruciatum, à deliciis ad delicias deducat æternas.

Istis blandiloquẽtiis, adulationibus, falsisque benedictionibus seductus tunicatus popellus mirè sibi blãditur de noui istius Euangelij (quod opinantur infelices) luce, quæ tam facili compendio, nullo negotio, nullo sudore, nullo labore à vita ista lætissima, non vigiliis aspera, non carniũ aut deliciarum abstinentiis tristi, non statis ieiuniis tetrica, non veteris vitæ pœnitentiæ laboribus dura, aut Confessionis onere molesta, ad vitam trãsferat immortalem. Quam doctrinam humano ingenio, carnalique animæ multò gratissimam, vt pro vero suscipiant plurimi, facit quod plerosque cùm Pastores, tum Concionatores, horumque dominos Canonicos, feréque omnes passim Ecclesiastici ordinis Prælatos vident, immo inuident, omni rerum istarum terrenarum cõpia beatos, dulci fortuna, opulentiáq; non minùs quàm poculis ferè quotidianis ebrios; neque magis de calcanda illa arcta Euangelij via, déque angusta regni cælestis porta ingredienda, solicitos, quàm sint Epicuræi. Etenim ore quidem Christum strenuè admodum ad sudores vsque & rauim prædicant, nullas docendi partes omittunt, Ecclesias D. Pauli exemplo circumuolant, sed vt linum & lanam colligant, decimas comportent, vindemias conuasent: ita vt si opus externum cogites, nihil videantur prætermittere, quod Deus opt. de legitimo pastorũ præscribit officio. Contrà si vitam inspicias, suæque doctrinæ vel leuiter compõnas, planè videas eam Euangelicæ neque congruere sobrietati, neque terrenorum contemptui, neque voluptatum carnalium mortificationi: sed veluti mercenarios ventrisq; mancipia, & quasi doctrinæ animo suo nec gratæ, nec ventri commodæ

Ecclesiasticorũ nimia diligẽtia vt lanam & linũ quærãt accuratius, quàm quæ Christi sunt.

commodæ, doctores operam suam Christo quidem voce et ore locare, lingua etiam sonare; sed moribus oppugnare, vita contraria veréque Epicuræa euertere, proterere, proculcare: adeóque, si cum D. Paulo verum dicere volumus, factis Deum negare. vnde non infrequens, hac tempestate Caluinistarũ inundante, illa & plebeiorum & optimatum vox, Ecquis possit credere ita sese S. Eucharistiæ habere mysteria, cũ talis sit sacrificulorum quotidie post pocula, post oscula, post popinas & lupercalia ad aras prosilientium vita? Ecquis istis porcis de angusta regni cælestis via fidem habeat, qui suis cum subantibus suibus fœdiss. volutantes sanctam docẽt corporum castimoniã? qui assiduis dediti, immo adobruti poculis, ac nõnunquam bis, ter, vno die ebrij, moderatam nobis occinunt sobrietatem, voluptatum abstinentiam, cælestem deniq; mundi & corporis oblectamentorum contemptum?

Cur Pastoribus & Concionatoribus Catholicis fidem nõ habeat nunc Dei populus.

Istius modi exemplis, veris quidem, sed vanis sophismatibus astutia sathanica capti, abusibus offensi, scandalis sanè grauibus fracti, à veritate, quæ in Christo est, seducti sunt plurimi, plureśq; in horas à Christo ad Belial turmatim deficere non desinunt, cum magistros sibi accumulant, siue vti Paulus his de temporibus prophetans ait, coaceruant. Isti verò quod cuiusque palato & auribus prurientibus gratum est, docent perstrenuè, nihil pensi habentes quòd nunc contra suum Lutherum, nunc contra suum Caluinum, immo contra se adeò ipsos docẽt; modò auditoribus suis grata, et, vti est apud Prophetam, loquantur placentia. Esa. 30.

Siquidẽ in hunc vel illum hominẽ nõ maiori vtũtur fide, aut constantia, quàm dudũ in suum Dominũ Christum. Quis enim nescit, plærosque omnes istos noui Euãgelij magistros ex nobis esse egressos? an non Pastores pleriq; in sæuissimos sunt

 conuersi

conuersi lupos? an non plerique facti Lutherani? an non multò plures & illi ipsi caluinizant? an non quaterni simul Pastores ad fœda, spurcissimáque Anabaptistarũ transfugerunt lustra? Vnde ista tanta precor, gregis dominici calamitas? an quia Ecclesiæ primates suum negligũt pascere, visitare, curare gregem? an quia suorum Pastorum mores non satagunt Euangelicæ doctrinæ conformare, vitamque ad Canonica instituta castigare?

Proinde si seriam, aut non simulatam meditamur Reuerend. in Christo PP. Ecclesiæ Christi instaurationẽ, ouicularum eius per Pastores dispersarum congregationẽ, hæreditatis eius à vinitoribus dissipatæ, conculcatæ, prophanatæ redintegrationẽ, ante omnia necessariũ esse satis liquere arbitror, prius repurgandos esse Christiani Euangelij precones, Ecclesiarumque vestrarum pastores, quàm solidam vobis polliceri queatis populi vestræ vt fidei crediti, ita & vestris de manibus illo iudicij die requirendi sanitatem, aut cum vera Orthodoxa & Christiana doctrina concordiam.

Vita bona à doctrina separari non debet.

Si quidem religio Christiana non solum sita est in doctrina vera, sed in vita etiam pia, quæ legibus respondeat Euangelicis, quæ duo ita inter se apta connexaque cohærent, vt & hic locum veriss. habeat, quod de nauigio respondit iurisconsultus; Si diuidas, perdis. Quid enim aliud futurum, si vita Doctoris suæ doctrinæ dissentanea contemnitur, quod magnus ille Gregorius prædixit verissimè; quàm vt & doctrina quoque despiciatur? Istud si vsquam locum meretur, maximè apud Germanos est verissimum: apud quos plus boni mores valent, teste Cornelio Tacito, quàm alibi bonæ leges.

De moribus German.

Quapropter cùm iam doctrinæ nostræ Catholicæ ab aduersariorum calumniis vindicãdæ atque contra horrida nouorum erro-

errorum monstra propugnandæ ratio sit inuenta, totique orbi hic demonstrata, remediũq; expositum, quod isthæc perniciosa opinionũ dissidia, Christo bene propitio, queat cõsopire, electasque Christi Domini oues vobis creditas ad resipiscẽtiam, ad obedientiã, ad Ecclesiæ vnitatem reuocare; omnibus velis remisque vobis connitendum, vt huius rei non minus necessariæ, quàm multò præclarissimæ, vnum illud semel de medio tollatur impedimentum, quod vna totius orbis Christiani voce verissimè acclamante ipsi opponit impura cleri vita.

Quæ nisi ad disciplinam reuocetur Canonicã, ecquid profuerit, sanctissimos in libris ceu vagina extare vitæ Christianæ Canones: cùm plus illorum frãgat authoritatẽ impura, lasciua, perdita Ecclesiasticorũ vita, quàm doctrinæ aduersariæ falsitas, aut errorum passim grassantiũ plausibilitas? Cuius rei indicium est multò certissimum, quod errantium fratrũ plurimi magis à vero aberrãt improbis suorũ pastorum, aut clericorum opulẽtiorum moribus offensi; quàm errorum, quibus iam detinentur captiui, inducti probabilitate. Initiò enim à veritate quorundam moribus impuris, aut improbis alienati, magis capiebantur nouorum magistrorum vita in speciem simplici, auaritiæ omnis aut arrogantiæ nescia, ac verè, vti ipsis tum videbatur, Euangelica: quò laqueo vbi eos callidus ille humanæ salutis hostis diabolus intricasset, posteà in varios, quò libuit, venenatæ doctrinæ impulit atque impegit scopulos. In quibus ceu naufragi vẽtorum vi iactati, vndarũq; fluctibus volutati, cùm hærere nequeãt cõstantes, nũc hoc, nunc illud sectati impiæ doctrinæ genus, res ipsa clamat, non tã eos esse deploratæ salutis, vt ad salutarẽ omnibus veritatẽ in Catholica Dei Ecclesia solum, vti hactenus semper accensam, ita & nunc relucentem, non possent reuocari.

Vitam Clericorum ad Canonicam disciplinam reuocandam.

Tolla-

Tollatur igitur omni ſtudio vnum illud impuræ Eccleſiaſticorum vitæ impedimentum, non defuerit conciliandæ concordiæ Germaniæ atque ſarciendæ vnitatis Eccleſiaſticæ ratio: qua omnes ſemel Chriſti oues illud vnũ ad ouile reuerſæ, vnum etiam agnoſcant vnius Chriſtiani ouilis Paſtorem.

Quid enim profuerit vel doctiſſimos Chriſtianis gregibus deſtinare paſtores, ſi impuri illorum mores doctrinæ Chriſti detraxerint veritatis opinionem? Diſſolutiſſima Cleri Germanici, potiſſimum Cathedralis, vita omni luxus genere perditiſſima, an non aliud hominum oculis ſuggerit, quàm cõcionatorum vox inſonat auribus? Quod ſi ad monaſteria vix ſuo nomine (prò dolor) digna quis digrediatur inſpicienda, an non ibi monachorum verè numerus, vbi præter nomẽ & cucullum vix aliquid videas monaſticæ aut ſobrietatis, aut pietatis? Nolo irridere, ſed potius deplorare tacitus, Concubinariorum greges, Concubinarum gynæcia, Cœnobitarum ſympoſia totum per diem, noctemque profundam protenſa: an non reperiantur qui ſibi, vt quidem opinantur, ſolis, totos alunt concubinarum greges? non vnam aut alteram, ſed ternas dico, atque quaternas?

Plus offendit vita, quàm pia mouet doctrina.

An non ſunt qui beneficiorum nũdinationibus ditantur, de die bis, ter ebrij: de nocte (pudet dicere quoties) varijs cũ amaſijs ſponſi? An non ad tremendam angelis, diuinã aram, accurrit Biberius, qui pridie vino aut ſemiſapida ingurgitatus cereuiſia, publicè Galiardam ſpectante ridentéque ſuum myſtam populo aſſolet tripudiare? An non reperti, qui mane ſacris operati myſteriis, à prandio hiſtrionicam ſcurræ lepidi in orcheſtra ſaltabant fabulam? An vllo paſſim hominum, etiam viliſſimorum, ordine tam immoderati exiſtunt lurcones, tam ingentes voragines, tam inexplebiles Bibones atq; merones,

merones, quàm in Canonicorum collegiis atque monasteriis olim veræ sobrietatis atque omnis pietatis officinis? An denique nobis exempla desint Tricongiorum, qui nocturna crapula saturi, immo saburrati in tremẽdo Dei opt. max. altario per auroram agũt (vbi vel ructare foret turpissimum) quod Ro. ille magister Equitũ, Antonius homo nequissimus in conspectu Po. Ro. vt vomentes frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum & totã (prò facinus abominãdum!) tremendam Dei opt. max. aram impleuerint? Plura omitto, (nam & ista paucula virtutis clericalis emblemata diu animo dolenti pressa inuitus retuli: quò suis vel tandem à Censoribus cleri Patribus sanè indulgentissimis aliquando castigentur pro meritis) ad alia magis necessaria transiturus. Siquidem de templo malum omne, vti & bonum, in populos profluit, teste Chrysost. Com. in Matth. c. 21. Vbi enim Sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret: Sin autem corruptum fuerit, omnium fides & virtus marcida est. Sicut cùm vides arborem pallentibus foliis, intelligas quod vitium habet in radice: sic cùm videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce quod Sacerdotiũ nõ est sanũ. Quod Apophthegma D. Chrysostomi si vnquam fidem meruit, aut vsquam locũ habuit, nunc in primis apud Germanos meretur fidem. Verùm quia res in confesso est, nos de mali huius ex arboris Ecclesiastici quasi radice prognati remedio laboramus soliciti. Hoc vnum igitur, quod diximus Ecclesiasticæ pacis, Germanicæque in vna Christi fide verè Euangelica concordiæ impedimentum in vita Ecclesiasticorum impura siue improba situm, nullo tolletur negotio, si ille omnium malorum fons semel obturetur auaritia: scelerata, inquam, illa auaritia, sacrilega isthæc auri sacri fames, omnium malorum, teste D. Paulo, radix:

Impuri quorundam mores planéque abominabiles populũ à sacrificio retrahunt ad exemplum filiorum Heli.

Reipublicæ ruina ex impura clericorũ vita.

Fons malorum omniũ quæ Ecclesiam vastant obturãdus qui est auaritia.

radix: quæ aut pastores instituit indoctos, ineptos, improbos: aut pastoribus Decanos præficit minùs pios, & idoneos, ac magis quæ sua, quàm quæ Christi sunt, quærentes.

Typus pastoris Christiani cuius opera facillimè errores omnes nunc grassantes euanescant.

Si tales ergo per prouincias destinentur visitatores, qui secundum sacros Ecclesiæ Canones, legitimos constituant populis pastores, doctrina Pastorali officio digna eximios, pietate conspicuos, vitæ puritate irreprehensibiles, illustris subitò quidam orbi cælitus affulgescet almæ veritatis splendor: qui offusas illas dudum commemoratas quorundam impiorum studio humanæ doctrinæ caligines facilè diffluere faciat, veréque suas in nebulas euanescere. Quod consilium si seriò fuerit, qua poterit, diligentia atque constantia, adhibitum; equidem nihil dubitauerim, mox lætiorem Christianis per Germanias Ecclesiis faciem redituram.

Indubia meliorum temporum spes ex Ecclesiasticorum reformatione.

Proculdubiò enim longè verissimum habendum est, Deum pacis nobiscum fore, si nos diuinæ ipsius voluntati filios præstiterimus morigeros. D. Paulus afflictis fratribus nostris Philippensibus diuino pollicetur oraculo, Deum pacis ipsis
„ adfore, si cogitarent quæcunque vera, pudica, iusta, sancta, a-
„ mabilia, bonæ famæ, siue laudabilia, si qua denique virtus, si
„ qua laus disciplinæ.

Certissima reformandæ Ecclesiæ & cócordiæ instaurãdæ ratio ex D. Paulo.

Ad hæc quæ didicistis, inquit, & accepistis & audistis & vidistis, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum. Hanc Paulinam Christianæ reformationis formulam plenius uberiusque per sacrosanctum Concilium Tridentinum dudũ explicatam, si Reuerendissimi D. Episcopi Collegæ ex animo minimè simulato primũ nobis ipsi præfigamus, moribus vitáque inculpata eam exprimentes: deinde chariss. fratribus nostris à Christo Domino fidei nostræ ad pascendum, erudiẽdum, saluandum commẽdatis, tandem nostro imitandũ exemplo proponamus,

A capite incipiant Ecclesiasticorum capita Ecclesiæ reformationem, res omnis salua erit.

ponamus; mihi quidem nihil dubium sit, Deum pacis atque cõcordiæ nobis affuturum. Sua enim ipsius plusquam materna in nos victus pietate, copiosissima suæ benignitatis propitius effundet viscera, largissimáque cælestis sui spiritus, veritatis ac pietatis omnis magistri, beneficia: quibus orbis terrarum ditatus ita inopinato beabitur, vt lætissimi videamus quod conuertet miserrimam plebis suæ captiuitatem verè Babylonicam, sicut torrens in austro: vt vnum omnes vno tandem sub pastore Christi Vicario efficiamur ouile. Verissimum namque opinor, quod aduersarij licet ore dictum legimus, Schisma non tollendum, si differatur reformatio.

Vnum est tollẽdi Schismatis impedimẽtum, verissimáq; remora, nimirum dilata Ecclesiasticorum reformatio.
Dur. de abus. Ec. refor. fo. 114.

Proinde vos Reuerendiss. P P. & Illustriss. DD. & ad vnum omnes Germanici Imperij ordines Ecclesiastici per Christum Iesum Dominum nostrum, oro atque obsecro, vt nostræ vocationis Ecclesiasticæ, functionisque Apostolicæ ex animo memores oculos, éheu nimium diu sopore graui depressos, vel tandem aperiamus: & quod hactenus alienis nescio quibus negotiis impediti accuratè non satis præstitimus, nunc alacri aggrediamur animo compensare, vigilantiorique studio resarcire, emendare, instaurare.

Adhortatio ad officium Apostolicũ ab exemplo Samaritani Euangelici.

Meminerimus nos ad illius Samaritani Euãgelici exemplum à Christo Domino constitutos, qui à Ierusalem in Iericho descentibus fratribus latronum vi spoliatis, dilaceratis, seminecatis, ac tantum non trucidatis, medicam aliquam adferamus opem, vt in stabulum illud beatæ quietis, æternæque salutis domicilium vnicum, Catholicam dico Christi Ecclesiam, reuocati atque reducti pristinæ aliquando suæ restituantur sanitati, veræque suæ per Christum comparatæ nostra opera, studio, diligentia reddantur saluti.

Actor. 20.

Meminerimus, inquam, nos huic stabulo à Christi Domi. spiritu præpositos constitutos ad istos fratres, immo filios, latronum sæuitia spoliatos, vulneribus confectos, internecinis plagis tantum non enecatos, fouendos, mulcendos atq; sanandos.

Descendamus igitur tandem obsecro, seria animi meditatione à Ierusalem in Iericho: id est ab ociosa illa pacis politicæ ac temporalis Reipubl. contemplatione, quæ citra solidam Ecclesiæ pacem atque religionis Christianæ concordiam stare non potest, ad negociosum Ecclesiarum tam varia errorum variorum & impietatis omne genus macula contaminatarum officium. Deinde & oculis non pristina oscitantia conniuentibus, sed seuera attentione vigilantibus totam illam viam accuratè perlustremus, quæ à Ierusalē ducit in Iericho: quòd est quæ ab illa auita maiorum nostrorum beatæ pacis trāquillitate nos in istam animorum fluctuationem, atque perniciosarum opinionū præcipitauit tempestatem naufragam iuxta ac exitialem, totam, inquam, hanc stadij annorum 50. viam attenti perlustremus, oculatissimique perscrutemur, an non videbimus eam non modò latronum insidiis obsitam, diris latrociniis infestam, cruentis ouium Christi mactationibus sanguinolentam? An non in viis desertis, & auiis atque ab Ecclesiæ vnitate semotis videre erit plurimos charissimorū fratrum nostrorum non solum sub omni ligno frondoso diis suis immolare? hoc est, adulterinis, veréque impiis dogmatibus diæ veritatis laudem impiè tribuere; sed iacere adeò veritatis vestibus spoliatos, nouis opinionibus quasi lethalibus vulneribus sauciatos, pestilentissimis erroribus quasi plagis internecinis tantum non enecatos?

A Ierusalē in Iericho Episcopis est subinde descendendum.

Quanta ouium Christi hodie calamitas per Germaniam: vbi Ecclesiæ per Centurias pastoribus sunt destitutæ.
Ierem. 3.
Ezech. 6.

Hypotyposis afflictissimi gregis Christiani.

Annon & hic videre erit innumeras Christi Iesu sanguine

ne (ò dirum! ò funestum spectaculum!) redemptas ouiculas iacere effera diaboli rabie laceras, vexatas, mactatas, dilaniatas, ac propemodum deuoratas? Si suo in stabulo grassantem lupum senserit frugi villicus, an non suis defendendis ouiculis celerrimus accurrat fideli comitatus lycisca, molossis cinctus, tridente alioue telo armatus?

Quod ni faciat, veri pastoris, nedum villici probi ac frugi nomen haud mereatur. Ecquid igitur fratres in Do. charis. nos nostris pro Christianis ouibus facere fuerit æquum, quas Christo Do. tam immenso, adeoque incomparabili stare pretio habemus persuasissimum? ecquid nostris pro fratribus, pro fratribus, inquam, nobis faciendum: quos videmus passim nostris in pascuis iacere pastoribus miserrimè destitutos, luporum non minori feritate, quàm immenso numero immanis. grassantium dentibus sæuissimè dilaceratos, dilaniatos, semideuoratos, atque iam dudum salutis (nisi tempestiuè opitulaturi accurramus) desperatæ propemodũ atque conclamatæ? Si truculentam istam ouilis fidei nostræ crediti cladem diffiteri non possumus, si tam incomparabilem ouium Christi de nostra manu illo seuerissimo iudicij die, nostra, inquam, de manu requirendarum calamitatem inficiari non licet: Si fratrum nostrorum, immo filiorum charissimorum salutem tanto in discrimine collocatam negare nequimus: ecquis tandem illis remedij, ecquid tandem nobis denique ipsis consilij?

An cum Pharizaico illo Sacerdote, aut Leuita Mosaico visum fratrem nostrum à latronibus veritate spoliatum, diris opinionum venenatarum vulneribus saucium, lethalibus erLucæ 10. rorum fanaticorum plagis mactatum, laceratum, enecatum immisericorditer, surdáq; aure dissimulãtes pertransibimus? an nostræ misericordiæ viscera super fratre, immo filio charis-

Ecquur nos merito cõmoueat afflictissimi gregis Christiani clades & ærumna.

simo

ſimo noſtræ fidei credito tam exitialiter afflicto, tam pernicioſe laborante, adeoq́ue certò pereunte diutius claudere poſſimus? Abſit, ó Paſtores Chriſtiani; abſit, ô patres Euangelici gregis, tanta pectoribus veſtris paternis feritas, inclementia, immanitas! Cùm ergo vel meridiana Solis luce clarius videamus noſtris mollibus in paſcuis, tam immenſam iacere vim ouium Chriſti ſanguine redemptarum, quarum ſanguis horribili illo ſeueriſſ. iudicij die noſtra de manu eſt omnium opinione citiùs requirēdus: cum videamus, inquam, tam immenſam ouium Chriſti impiis erroribus ſauciarum, dilaniatarum, ac tantum non deuoratarum iacere vim omni noſtro auxilio deſtitutam, omni etiam remedio defectam: an non bis erimus Pharizæi, duplicique gehenna merito optimo digniſſimi, ſi diutius auxilia illis certò pereuntibus differamus, ſubtrahamus, & non omni ſtudio induſtriaq́ue adhibeamus?

Qui gehēnæ vllo tangūtur metu, aut ſenſu, nō ſtertāt diutius.

Certè ſi futurorum, eorundemq́ue æternorum aut gaudiorum cæleſtium ſpes nos vlla fouet: aut ſaltem tormentorum infernorum ignibus ſemper & vſque ſemper inextinguibilibus horribiliſſimorum metus nos vllus tangit; non poſſumus iſtis laborātibus Chriſti Domini ouiculis, periclitantibus noſtris fratribus, certò pereuntibus noſtris filiis, minùs adferre auxilij aut ſolatij, quàm pius ille Samaritanus Euangelicus illi infælici Iudæo in latrones illapſo, de facie ignoto, gente alieno, moribus diuiſo, religionis cauſſa exoſo adhibuit. Huius ſtudeamus igitur, ô Chriſtiani gregis paſtores, miſericordiā æmulari. Quod ille admodum benignè præſtitit ignoto, hoſpiti, ſpoliato, lacero, ſemiuiuo: nos alacriter impendamus ſubditis, fratribus, filiis. Excitet nos Chriſti pietas, excitet noſtri officij memoria, noſtræ vocationis recordatio, Eccleſiaſticæ noſtræ functionis Apoſtolicæ dignitas; excitet denique

Cur expergiſcēdum paſtoribus omnibus.

que

que vera in miseros fratres nostros, immo filios charissimos misericordia, si quæ nobis est, paterna. In hos ergo miseros iuuandos non nobis alienos, sed nostræ fidei creditos; non nobis ignotos, aut hospites, sed ad calculum seuerissimè aliquando ab ipso Christo Judice, atque eodem Pastore nostra de manu requirendos, misericordia excitati, paterna pietate moti, Christiana charitate extimulati, omni quo licet, studio, deligentia, opera, in hospitium, verumque Christi Domini pastoris stabulum docendo reuocemus, admonendo reducamus, atque, si fuerit opus, vel in humeris, ad pastoris principis Christi exemplum, reportemus: quo nostro tandem officio saltem quadam ex parte satisfacere voluisse videamur.

Si enim Mosaicus ille Sacerdos, Leuitáq; Judaicus Christo iudice vacui erant, expertésque charitatis Christianæ, citra quam vt nullus salutẽ æternã impetrare, ita nec regnum Dei intrare queat; ecquas nobis, fratres, per Deũ immortalẽ, credimus paratas apud inferos candentes rotas, catastas horridas, ignitos equuleos, ardentiũ pice ac sulphure ignium globos; quibus istam immisericordiam æternùm luamus, inclementiam pendamus, inhumanitatem expiemus.

A minori amplificatio est pœne negligentiorum pastorum.

Siquidem illos sola in hominem, & eum ignotum, adeoque alterius religionis negligentia fecit reos: Nos verò præter supinam, eamque in filios nostræ fidei creditos negligentiam, etiam infirmos in fide Christi fratres, quorũ lino ad pompã gloriosissimè vestimur, lana mollissima luxuriamur, vino præstantissimo inebriamur, quotidianis non desinimus offendere scandalis, ad orcum illos infælices magis atq; magis data quasi opera vrgentes, ac tantum non præcipitantes. Quare si sapimus, tempori nobis consulamus, vt piã illam Samaritani Euangelici misericordiam imitati, de equo nostro descẽdentes, hoc est, pomposis seculi huius pereuntis negotiis,

phaleratis

Omissis seculi nugis mundiq; vanitatibus repudiatis, suscipienda est tandem dominici gregis visitatio.

phaleratis nugis, blandientibus mundi sua mole corruentis voluptatibus, vanisque delitiis nuncium remittentes) ac seculari principatui secundas habentes, vt Ecclesiasticæ ancilletur dignitati, ancilletur, inquam, non dominetur, ad illas Christi Domini ouiculas humi stratas, veræ fidei pallio spoliatas, pestilentium errorum vulneribus dirè saucias, hæreseon plagis horribiliter vexatas, ac plusquam semimortuas, immo tantum non trucidatas (quia à vitæ fonte Christo Jesu verè separatas) alacriter visitaturi accurramus.

Oleũ & vinum quo pacto Christianis ouibus sauciis instillandum.

Deinde paternæ illis exhibituri pietatis officia, dira illa vulnera ipsorum animabus errorum virulentia & à latronibus istis animicidis schismaticis atrocissimè inflicta lenissimæ, atque benignissimæ admonitionis oleo confoueamus, vino seueræ acriorisque correptionis mordicemus, denique fascia Euangelicæ charitatis, quæ vinculum est perfectionis æternæque salutis & incolumitatis, sic obligemus atque obstringamus, vt vitalis sanguis, totus (eheu) propemodum diris illis vulneribus profusus tandem sistatur: ne perpetuo fluxu tabescentes pereant. Quibus præparatoriis seriò adhibitis, licebit nullo negotio fratres, immo filios nostros vel semineces iumentis impositos, id est, orationum nostrarum fulcro quasi nixos & suffultos in optatum hospitium, veramq; Dei donum, Ecclesiam Christi Iesu Catholicam reducere, ac solidissimis instructionibus de integro in Pandochæo Christo Domino, eiusque spiritui paracleto tradere atque committere curandos, suaque vnctione interna perfectè sanandos.

Afflictæ Christi ouiculę quomodo in stabulum reducendæ.

Post ostensa remedia impedimentum amouetur, quod possit illa suo frustrari effectu.

Istud autem certissimum medicamentum multò saluberrimum fratres & filij vestræ fidei crediti ne nõ admittant, vnum, vereor, ne quid dissimulem, obstiterit, quod in Euangelio Christus Dominus prudenter admodum cælestis suæ medicinæ

dicinæ administros admonuit; puta ne alios dum curare vo-„ lumus, meritò illud audiamus vulgi prouerbium, Medice „ cura te ipsum: quo cauendum docet, ne præpostera diligentia „ prosiliamus alios sanaturi, ipsi in primis aut helleboro, aut cau„ terio insigniter egentes. Rursus ne festucam de illorum oculis sublaturi audiamus & illud: Eiice primum, Hypocrita, trabem de oculo tuo. Oculos igitur nostros ab omni sordidæ auaritiæ glaucomate velut pharisaica illa trabe, primi à nobis reformationis telam exorsi liberemus: animos omni noxia scandalosæ cupiditatis, carnalisque voluptatis suffusione repurgemus, vt toti lux verè Euangelica in Domino facti, totum quoque corpus Ecclesiæ lucidum, clarum, illustre perspicuo nostræ piæ vitæ exemplo reddamus, gratoque salis Euangelici sapore condiamus, eiusque acredine aduersus funestam ac tetram grassantium errorũ tabẽ obmuniamus. Hac enim ratione singulare illud promerebimur elogiũ, quod nostri honoris causa Christus suis tribuit Apostolis, Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ: quorum vt loco in Ecclesiis stamus, ita & piam in Christi oues solicitudinem oportet æmulemur, iustam diligentiam in procurando grege dominico præstemus, officiosam sedulitatem Apostolica nostra functione dignam populo Dei nobis quisque credito exhibeamus.

Pharizaica illa trabe primi à nobis reformationis telã exorsi oculos liberemus.

Tum demum de illorum electorum suorum pastorum numero erimus, qui lectissimum Christi Domini gregem secundum cor Dei pascunt in doctrina, iudicio et iustitia. Sic enim de charissimis Deo Opt. Max. ouiculis Christi Jesu sanguine redemptis nõ modò hac tempestatis nebula in omnem impietatis collem, in omnia errorum auia, horridáque heresiarcharum spelæa dispersis, dissipatis, errantibus; sed etiam ab omni fera agri dominici dirum sanè in modum dilaniatis, horri-

Ierem. 3.
Ezechielis 34.

 bili-

biliter vexatis, atrociter excarnificatis, tantumque non deuoratis, tandem semel requirendis, congregandis, visitandis, agnoscendis, pascendis, sanandis, pristinæ sanitati, optatæque incolumitati reddendis, dignè cogitabimus, idoneáq; remedia & prudenter constituemus, & salutariter, vti Euangelicos decet pastores, adhibebimus.

Tunc enim animi oculis nostris illo cæcutientis auaritiæ glaucomate liberatis, atque cæca carnalis voluptatis lema expurgatis, licebit patula depuratæ mentis aure illam Domini vocem cuilibet huius Apostolici ordinis dictam exaudire: Ego cōstitui te hodie super gētes et super regna, vt euellas, & destruas, et disperdas, & dissipes, et ædifices, et plantes. Ierem. 1.

Exeamus igitur tandē, eia fratres in Do. chariss. exeamus ob ista otiosa, immo vanis lusionū, venationū, cōpotationum laboribus negotiosissima vita, in agrum, siue vineam dominicam, videamus cum sponso illo, an floruerint vineæ: an potius de vestra vinea idem pronūciabit vineæ Dominus Deus Sabaoth, quod iam pridem de illa Iudaica, Expectaui vt faceret botros, & fecit labruscas. videamus, an non loco vini Deo hominibusq; longè olim gratissimi, et copiosè in totū terrarum orbē de vinea Germaniæ pietate verè Christiana pridem illustrissimæ ac fæcundissimæ fusi nunc prouenit, quod de suo mæstus admodū prædixit gētili populo amicus Dei Moyses: de vinea Sodomorum, vua eorum; & de suburbanis Gomorræ; vua eorum, vua fellis, & botrus amarissimus: fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.

Cantic. 6.

Esai. 5.

De utero. 32.

An non rectè de vinea Sodomorum vua istorum Euangelicorum dicatur & conuincatur adeò, quæ Patres habet indubitatos Sodomæ incolas, & colonos Gomorræ? primos illos dico hæresiarchas, Simonem Magum, Manichæum,

Aë-

Aërium, Jouinianum, aliaque vitis Dominicæ contagia, & excidia. Certè Lutheri doctrina, si quis eam probè norit, verè est vua fellis, & botrus amarissimus: quod amarissimis iuxta ac venenatissimis illis Manichæi, Jouiniani, Aërij, Vigilantij, & cæterarum pestium fructibus totum penè terrarum orbem in stuporem, veramque dementiam conuertit. Sed quale nam, fortè inquias, vinum ex præclaris istis botris est prouenturum? Haud sanè aliud, quàm prædixit D. Moyses: Vinum eorum, fel draconum; & venenum aspidum insanabile. An non fel draconum & venenum aspidum habendum, quod Euangelici isti nouo noui Euangelij (si Christo placet) musto ebrij, ea in vulgus euomunt scripta, quæ non modò illicitas suadent nuptias, legitima dissoluunt matrimonia, illegitimasque probant vsuras vel Judaicis iniquiores: sed manifestam etiam continent magiam, verissimamq; perspicuè docent idololatriã? An non per Germaniam impressa passim extant de magicis omniũ generũ scripta varia? An nõ Marpurgi, anno 1559. prodiit Cor. Agrippa de ceremoniis magicis, siue li. 4. de Oc. Philosophia? Itẽ elementa ,, Petri de Abano magica, quomodo ad apparitiones, obsequia, ,, et colloquia sint dæmones euocãdi? Sed hæc fortassis inter su- ,, perstitiosa quispiã potius referẽda dixerit. An nõ disertis verbis diuinationes varias diabolicas, artesq; verè magicas tradit N.N. suo libello Basileæ ann. 63. pridẽ impresso? Ubi non modò formulas docet incantandi magicas: sed planè profitetur, se illas fuisse verbis illic magicis cõmemoratis expertũ, & tribus, inquit, vicibus magia per cribrũ se pro voto vsum? An istos fructus quis inficiando fuerit non esse de vinea Sodomorũ, & suburbanis Gomorræ? An non vinũ istud Euãgelicorum, fel draconum & venenum aspidum insanabile?

Sed vnde nam hæc obsecro? an alia de causa, quàm quòd
Esai. 5. vinea illa Soreth Domini Sabaoth olim electissima, nunc vinitorum incuria, neglectu, cultuque negato, est versa in labruscam? Certè cùm alia verior nequeat adferri causa, nũc vos Deus opt. max. hac tempestate calamitosissima suæ præfecit ad tempus quoddam vineæ instaurandæ, repastinandæ, còlendæ: vt vos spinas euellatis, rhamnos eradicetis, labruscas exscindatis; deinde nouella auitæ illius veræque Apostolicæ originis plantaria denuò plantetis; vbi aquilonaria frigora vel totam Domini vineam afflixerint, vel sua vredine adustularint: denique vbi euersum est illud Dauidis tabernaculum à Christo iuxta prophetias etiam per Germanias piorum prædecessorum vestrorum opera ante annos plus minus 800. erectum, vt vos ædificetis, instauretis, exornetis. Seriò igitur in primis vobis cogitandum de iustissimis iræ istius diuinæ in Germaniam nostram dirum in modum effusæ caussis semel tollendis, de collapso Dauidis tabernaculo erigendo, de confractis eius instaurandis, de ruinis fulciendis, de reliquiis colligendis, de ouiculis, denique Christi Domini sanguine redemptis, vexatis, dispersis, dilaniatis, tantumque non deuoratis, tandem semel colligendis, visitandis, pascendis, sanandis, atque viuificandis.

Amos. 9. Act. 15.

Ad ista pastoris verè Euangelici officia pium quemq; suæ salutis æternæ non oblitum nunc temporis illa vox Domini
Ezechiel. 33. exercituũ excitare debet, qua horribiliter sanè apud Prophetam omnibus negligentioribus dirum comminatur supplicium.

„ Quia non pascebant (inquit) gregem pastores, sed seipsos
„ pascebant, faciam vt non amplius pascant. Diuinam hanc comminationem iam nunc vobis non exigua ex parte ipsis, prò

prò dolor, rebus completam esse, ipsi videtis, maximoque prouentuũ annuorum incommodo sentitis, & suauiss. vinorum ac vinearum vberr. detrimento indolescitis. Sed nisi iustissimam Dei opt. max. iram iam in vos effundi cæptam diligentiori atque Canonica officij quisque vestri Ecclesiastici præstatione studueritis auertere, leuatamque in vos Dei manum sistere, grassantẽ etiam furorem cohibere; futurum planè est, vt vobis totam suam tollat vineam, & aliis eam tradat vinitoribus: qui fructum suo Domino optatissimũ suis pendent temporibus; immo, vt ne dissimulemus adulãdo, aut palpando, quod Dei nomine Ezechiel addit seuerius, faciet vt non amplius gregem dominicum pascatis. Quam Domini Dei vocem cùm & Galliæ vobis Germanissimæ, ô Proceres Ecclesiastici & pastores gregis dominici, æquo minùs exhorrescerent, atque minùs quàm par fuit animaduerterent, an non simili planè obruti sopore, vineæque dominicæ neglectu, suis indormientes voluptatibus, pompis, nugis, venationibus, ocioque ignauissimo, & fastui aulico, seueriter admodum furorem Domini iam per annos VIII. experiuntur? Si à domesticis suis hostibus, immo cognatis & fratribus tam repentino incendio fuère minimò minùs absumpti; ecquid spei illis obsecro superfuisset reliquum, nisi externo vnius Sereniss. Regis Philippi verè Catholici præsidio ex Hispania verissimè, vt ille ait, principibus fæcunda viris, & nostra Belgica submisso, auroque Indiano immenso in menstrua stipendia suppeditato fuissent suffulti, propugnati, conseruati?

In tam præclaro tamen auxilio, licèt illustriss. Dux B. M. Carolus Guisius Ecclesiasticis diuina contigerit prouidentia, Anno 61. qui ex animo iustissimas ipsorum partes heroïca fortitudine propugnaret; an non per Gallias primo tumultu illo Euange-

 licorum

licorum videlicet hominum periêre suprà sacerdotum sex milia? vt nihil de plebis latrocinio, nihil de mutua partium laniena, nihil de huius brumæ acerbissima omnium calamitate nunc dicamus.

Anno 67.

Meministis, opinor, plerique omnes illustriss. D. Germaniæ proceres Ecclesiastici, illa ab hinc annis 40. seditiosi Lutheri ceu Bellonæ classicum canentis ore cōcitata in vos pericula: quæ si sese intra destinatas quasi metas & carceres, id est, intra solius Cleri spolia, ac templorum prædam continuissent, ecquid vobis erat futurum? donec temulenti illi rustici, furiosi, vestrique odio rabidi, templa, sacraria, monasteria spoliabant, vastabant, ignibus cremabant, Sanctimoniales stuprabāt, Monachos & Sacerdotes vexabant, opprimebant, mactabant; nullus fuit qui super contritione Ioseph condolesceret, nisi vbi Politici homines sibi suisque eadem impendere pericula prudenter tandem animaduerterunt: immo illatis cladibus cædibusque commune exitium imminere atq; iamiam intentari adeò senserunt.

Comes de Helplenstein anno 25. per hastas actus suo exemplo laicos tandem docuit seditiosos timere rusticos.

Etenim vbi et sui ordinis viros trucidari, nobiles ad lanienam rapi, immo illust. Comites per hastas atrociter agi viderēt, tunc demum experrecti, atq; à dulci illo spectaculo, quod in Clericos tantū, moribus exosos, et opibus inuisos sæuierat, ad sua pericula præcauēda & amolienda cōuerti, seria meditari consilia, armatas illis opponere legiones, furiosos suos in miseros rusticos ligarū suarū fæderūq; mittere cataphractos.

Quod si tam exiguum atque serotinum, aut si verū dicere licet, tam infidum vobis tunc fuit vestris à Germanis, immo carne & sanguine, cognatis, fratribus, parentibus, sacrosancto etiam fædere confæderatis, submissum auxilium, dum omnibus eadem esset religio, vna fides, vnus Christianæ pietatis

tis cultus atque professio: an vobis nunc audetis ab eisdem tuta polliceri auxilia, aut necessaria subsidia? Sed his aliò repositis, atque vestræ prudentiæ commendatis, vt saluti vestræ ipsi in tempore consulatis, ecquid, obsecro, iam in posterum vobis solidæ atque tutæ superest spei, vt diutius istum Dominicum pascatis gregem, si iustus ille iudex fortis et patiens nouam (quod pius auertat Deus, amoliaturque propitius) sinat insurgere aduersus vos procellam? an iam vllum ex liga illa Sueuica salutare, vti tunc, vobis aderit præsidium? an vos vestris ex opibus idoneas illis obiiciatis copias? Sed quales sint futuræ, quàm fidæ, quàm in vestri propugnationē vobis seriò deuotæ, notius est, quam vt sit commemorandum.

Intereà enim dum nullum fuit gliscenti malo isti intestino vereque internecino remedium salutare adhibitum; immo & quod ad tempus videbatur pia Caroli V. A. opera, perquam seria, vtinam & tam fælici, domesticos motus sedaturum, violenter etiam fuit abruptum, in peiorē statum dilapsa omnia, maiorq; domi increuit hostiū numerus, & validiores eis accessere in dies, idq; ex vobis, opes simul & copiæ. Porrò quàm sint pauci & hic, & alibi, qui vobis ex animo omnia vestra volunt salua; dies ipsa docet perspicuè

Pacificatio Cæsarea, & Inter-religio Augustana, Interim dicta.

In Passauien. Tractatu. Anno 52.

Quod si hæc intestina discrimina, periculaque internecina vos minùs terrent, necdumque ad officium legitimè præstandum adigunt; oculos tandē, obsecro, aperite, ac semel vigilanti tandē animo contēplamini, quibusnā hostibus non modò vndique estis cincti; sed intus etiā obsepti, ac tātū nō obuallati? Sūt Principes nōnulli, fateor, qui ex animo vobis cōdolescunt, sunt qui vicem vestrā, sortēq; multò miserrimā non possunt non indolescere; sed vno, aut altero, aut summum 3. aut 4. exceptis, quotus quisq; est in orbe terrarū, qui vel teruncium

vnum vestræ salutis conseruandæ caussa insumat, nedũ militem vobis præsidiarium peregrè submittat? Jam communis ille omnium hostis Turcarum siue Moschorũ Jmperator, quanto salutis discrimine vobis inhiet, tãta dissidiorum labe elumbis, dissipatis, luxatis, ac propemodum fractis, quis est qui nesciat?

An istos infestissimos religionis Christianæ, aut saltẽ Christianorum hostes aliud esse certè cogitamus, quàm iustissima irati Domini flagella, nostris frenandis, castigandis, expiandis flagitiis diuinitus excitata? Certè virga furoris mei Assur, ait
Esai. 10. Dominus, & baculus ipse. In manu eorum indignatio mea; ad gentem fallacem, fidei immemorem, atque desertricem mittam eum, & contra populum furoris mei mãdabo illi vt auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearũ, quod vti Judæis historicõs contigit: ita nobis, quorum ille populus fuit typus, vsuuenire quotidiano (prò dolor) discimus, adeoq; infelici experimur exemplo.

Plurimas iam dudum hac memoria ex Rom. Imperij populo miserrimas fratrum nostrorum abegit Turca prædas, spoliauit regna, diripuit, immo subiugauit prouincias vestris ouilibus aut socias, aut vicinas: vnde meritò verendum, ne tandem ad vos vsque ferus hostis perrumpat, peruadat, vosque ipsos possideat.

Diu admodum diuina clementia perditos Cleri Torpatensis mores tulerat, diu admodum vicinæ gentis flagitia tolerarat; diu admodum Lutheranizantis Liuoniæ populi blasphemias perpessus fuerat: sed completa ipsorum malitia, Barbarum illum Moschum hostem immisit ferocissimè, qui nõ solùm tyrannidè oppressit, sed horrenda internecione florentissimam

ſimam gentem ferè totam ſtrauit, iugulauit, mactauit. Cùm eadem igitur ſint Germaniæ, aut ſaltem magnæ Saxoniæ noſtræ impia merita, eadem in pios Dei cultores flagitia, eadem deniq; in Dominum Deum blaſphemia; an alia ſit piis omnibus Deum iudicē longanimem quidem, ſed iuſtum vindicem timentibus expectāda Cataſtrophe? Quæ quàm ſit nobis vicina, quàmque capitibus noſtris præceps impendeat, vereque vrgeat, non eſt difficile cōijcere, quibus animi oculos, rectæq; mentis arbitrium cæca mundi ambitio, aulæ adulatio, aut vana huius brutæ carnis oblectamenta ſuis præſtigiis nō totum eripuerunt.

Proinde vigilandum vobis, ô Proceres Eccleſiaſtici, Romani imperij per Germaniam Principes, vt hunc venientem Dei gladium, vti ait Propheta, certiſſimumque iræ furoris Domini nuncium, in populum fallacem, ſiue vti eſt apud Septuaginta, ἄνομον, exlegem, præuaricatorem, perfidum, fideiq; olim datæ oblitum ac deſertorem, ſiue vti ait D. Hieronymus, qui inter me & idola ſemper claudicat, amiſſum veſtro quiſque pro officio annuntietis, ne fortè ob ſilentium perfidioſum, illorum ſanguis veſtra de manu requirendus, illo ſeueriſſimi iudicij die exigatur. EPILOGVS. Ezech. 33. Eſai. 10. Ezech.

Nota enim eſt iræ diuinæ cauſa, innumeræ iſtæ ſectariorum in Deum Opt. Max. & Chriſti Domini ſacramēta, carnem, mortem, crucis meritum, ipſamque adeò SS. Trinitatem blaſphemiæ nouo iſto pſeudoeuangelio in Germanias inuectæ, quas flagitia omne genus, & publica & priuata, vſuræ bis propè centeſimæ, atq; Iudaicis multò iniquiores, adulteria, latrocinia, rapinæ, ſacrilegia, inceſtus, ſunt comitata vt nō ſolet Religionis ſubuerſio, niſi pernicioſiſſimas animabus corporibusque aduehere labes, dirasque bonorum omnium pe-

stes: nihil hic de quotidianis populi nostri facinoribus, ebrietatibus, comessationibus; nihil de Cleri gula, ambitione, diuinorum neglectu, beneficiorum nundinatione, officiorum annua elocatione, luxuria, vitaque perditissima. Ob has animorum pestes, flagitia, sacrilegia, scelera, nefariasque in Deum hæresiarcharum blasphemias cùm veniat ira Dei, teste Paulo, in filios diffidentiæ, ἀπειθείας, cõtumaciæ, inobedientiæ, incredulitatis atq; perfidiæ: imò cũ iã dudũ sint illæ flagellorũ Apocalypticorũ phialæ in Germaniam effusæ (omnia enim illa quæ meritò patimur, ac iamdudũ passi sumus, operatus est furor Domini, et adhuc manus eius super nos extensa est) vestrum est assiduam dare operam, vt à vobis canonicæ reformationis telam orsi, iram Domini possitis, dum hora est, sedare, atque placare. Equidem dolens dico, gemensque denũcio (libet enim verbis D. Gregorij nunc vti) quia sacerdotiũ apud vos iam intus cecidit, foris diu stare non poterit. Non est tamen Dei Opt. manus abbreuiata, vt sanare nequeat, sed tollantur tantum peccata, scandalaq; publica illa nefaria, quæ inter nos et ipsum diuidunt; quod vestra nunc in primis à vobis postulat officij ecclesiastici ratio. Vt enim olim summus ille sacerdos Aarõ, arrepto, prout sacerdotale flagitabat officium, thuribulo, inter viuos ac mortuos orando furorem Domini in Israelitas accensum extinxit: ita & vos adhibitis ieiuniis & priuatis & publicis cum orationibus atque litaniis, propitiatorioq; sacrificio Deũ patrem clementissimũ facillimè placabitis (hac enim ratione exoratus largietur) vt vobis, vestroq;, imò suo longè charissimo gregi propitius, grauissima iræ suæ iustissimæ flagella auertat, benignusque desertum propè atque subuersum tabernaculũ Dauidis respiciat, suoque populo vnum cor, vnam fidem, vnam denique sui nominis

Coloss. 3. Ephes. 5. Apocal.

Esai. 9.

Gregorius epist. libr. Esai. 59.

minis confessionem reddat: quo tãdem vnũ fiat ouile vnusq; omnibus præsit, vt à diebus antiquis, pastor, qui pascat in iustitia & iudicio. Quod quia sperari non potest, nisi omnibus vestris ouiculis vna quoque reddatur fidei doctrina, eisdemque artibus instauretur, colligatur, conseruetur Christi Ecclesia, quibus isthic est olim exorta, alita, & hactenus conseruata, nos dominici gregis zelo accensi, hoc secundo Apologetici nostri Tomo vobis, Reuerendissimi in Christo PP. dedicato, diuinam Catholicæ nostræ Ecclesiæ doctrinam aduersus hostiũ tela, morsus, dirasque calumnias defendere studebamus, non tam vobis, quàm Pastoribus vestris hac in parte consulentes, Dabitis igitur veniã, Reuerendissimi DD. si vestra fortè patientia abusus, ea attulero, quæ vos ingenio vestro, quoplurimum præstatis, vel iudicio, quod est plerisque acerrimũ, vel studio, quod est quibusdam singulare, estis facilè consecuti. Sed rudioribus lectoribus, atque piis & semidoctis Pastoribus non parum adferat fortassis hoc opus præsidij simul & solidioris iudicij ad controuersias huius tempestatis dijudicãdas, orthodoxè dirimendas, siue, vti Paulus loquitur, ὀρθοτομεῖν, rectè secandas & definiendas.

Hinc enim liqueat, nos maioresque nostros Episcopos nihil nouæ doctrinæ in Ecclesias inuehere, nihil superstitiosum, aut impium, nedum idololatricum Christi euangelio admiscere, non denique nouum (vti calumniãtur anonymi Confessionistarum Patroni,) Christianismum Germaniis peperisse, sed SS. Patrum nostrorum vestigiis constanter insistentes antiquũ Christi Domini euangelium obtinere, ac ne latum quidem culmum ab illa Apostolorum doctrina initio per Germanias, totumque orbem Christianum concorditer tradita discessisse, aut deflexisse; nedum degenerasse, aut quippiam deprauasse,

quemadmodũ ex inferioribus candido Lectori fiet luce quauis meridiana magis perspicuum.

Quò autem nostrum vobis commendaremus pro concordia Germanica studium, hunc alterum Apologetici nostri pro Religione orthodoxa Tomum vobis R. in Christo PP. atque Illustriss. DD. dedicare placuit.

Tibi verò nominatim, R. D. Ottho Truchessi, Augustane Antistes, singulare Germaniæ nostræ decus, ac studiosorũ Theologorum Mecœnas eximie, nõ tam vt nostrum in te de nobis præclarè meritum orbi contestatam faceremus beneuolẽtiam, quàm vt pium istud pectus, quod cõcordiæ ecclesiasticæ amore iampridẽ flagrare nouimus, nostra quoque oratione, licet subrustica atque languidula, ad ardentius efficiendæ pacis huius studium instigaremus.

In quod opus longè sanctissimum, si alij Collegæ pari fide, pari zelo, pari ardore toti incumbere dignarentur; nihil equidem ambigo, quin breui totus orbis lætissimam Germaniæ nostræ de religionis auitæ reconciliatione, fideique reuera euangelicæ concordia gratularetur Catastrophen, quam vt Deus Opt. nostris largiatur tẽporibus, ac priusquã nos immani tradat hosti, ad Græciæ, Asiæ, Hungariæ, nostræque Liuoniæ exẽplum, obnixi assiduis flagitare non desinimus precibus. Sed nunc ad Antitheses veniat oratio, quas vbi in XXIIII. capita isti Confessionistarũ delecti Theologi, Consiliariique politici distinxissent, ac veluti in aciem contra Papatum, vti aiunt, siue Christianum sacerdotium, id est, contra dominum & Christum eius disposuissent, hunc in modum suam aggrediuntur de adulterato per Episcopos Christi Euangelio accusationem.

APOLO-

APOLOGETICI PRO RELIGIONIS CATHOLICÆ CONCORDIA,

TOMVS SECVNDVS.

Ad Reuerendissimos Archiepiscopos Electores, & Illustrissimos Rom. Imperij Principes Ecclesiasticos.

Cuius Capitum hæc sunt Argumenta.

CAPVT PRIMVM.



SAnctorum inuocationem non esse contra scripturas, neque contra veterum Patrum testimonia, sed iisdem vtrisque confirmatam, Confessionistæ cum Mahumeto, Iudæis, Manichæis, & Paganis frustra perinde ac temerè oppugnant, quasi superstitiosam, impiã aut idololatricam.

Antithesis prima de Sanctorũ inuocatiõe, an impia & idololatrica?

CAPVT SECVNDVM.

Anonymos Confessionistarũ delectos patronos nouos esse inexcusabiles, quod Catholicos cum Paganis adeoq; Iudæis denuo Idololatriæ accusant ob piam Sanctorũ inuocationẽ: cùm diuino cultu eos non adorẽt, sed vnum Deum. Vbi longo Catalogo Patrum Orthodoxorũ demonstratur, Sanctos semper apud Christianos toto orbe ab anno vsque Domini circiter 60. fuisse ad auxilium piè inuocatos citra omnem superstitionis, nedum impietatis labem.

Machumet ab eadem controuersia suũ exorsus est schisma.

Origo piæ Sanctorum inuocationis ex perpetuo PP. Orthodoxorum consensu & Scripturis.

CAPVT TERTIVM.

Locis S. Scripturæ ab aduersariis obiectis non aduersari Sanctorum inuocationem, quæ liquidis statuitur scripturis.

Exemplis Scripturæ statuitur SS. inuocatio.

CAPVT QVARTVM.

Soluuntur argumẽta ex scripturis à Confessionistis obtorto collo protracta.

CAPVT QVINTVM.

Testimonia patrum contra Sanctorum inuocationem allegata suo germano sensui restituuntur, & à corruptelis istorum anonimorum defensorum, de industria factis vindicantur, vti quod Ambrosius dixit, Non per istos itur ad Deum,

Verba Orthodoxorũ Patrum adulterant noui Confeſsioniſtarum patroni Anonymi.

iſti adulterant per iuſtos. Ad hæc Vet. Patres à Confeſsioniſtarum patroniis falſo recitati diſertè Sanctos ad patrociniũ docent piè inuocandos, quemadmodum nobis ſuffragantur Oecolampadius & Martinus Bucerus.

CAPVT SEXTVM.

II. Antitheſis de vſu imaginũ an impius.

De legitimo imaginum vſu, cultuque illarum religioſo, nõ ſuperſtitioſo, in Eccleſia obſeruando.

CAPVT SEPTIMVM.

Diſſoluuntur argumẽta tẽmerè contra V. Imagines noſtras obiecta.

CAPVT OCTAVVM.

Origo religioſæ ad certa loca peregrinationis.

Quàm ſit antiqua Chriſtianorum ad certa loca & SS. reliquias pia religionis & orationis ergo peregrinatio, cuius origo inueſtigatur.

CAPVT NONVM.

III. Antitheſis de Chriſto vno mediatore: & an Sancti appellãdi patroni & intercesſores?

S. Maria Brentio aliiſque Confeſſioniſtis dicta hominũ Saluatrix, modò piè accipiatur.

Salue Regina, ſpes noſtra, defenditur piè acceptũ ab exẽplo D. Irenæi, Effrẽ & Athanaſij: Naziãz. & aliorum.

Catholicos vnum mediatorẽ, interpellatorẽ, & interceſſorẽ Chriſtũ Do. profiteri; rectè tamẽ pio quidã ſenſu ad exempla maiorũ & vet. Patrũ, appellari Sanctos mediatores, patronos, ſiue interceſſores, cũ ipſi aduerſarij in Cõfeſsionis Auguſtanæ apologia fateãtur, eſſe quodã ſenſu apud Deũ rogatores, & pro nobis oratores, adeoq; ſaluatores faciãt Iohan. Brẽtius, & Theologi Tubingen. qui & D. Virginem Mariam diſertè profitẽtur piè dici poſſe ſaluatricem; quòd multos, inquiunt, homines ſaluat, ſi candidè intelligatur; negant tamen præfractè, Spem noſtram ſalutandam, vbi pium Eccleſiæ canticum, Salue Regina, à phanaticis defenditur calumniis.

CAPVT DECIMVM.

Refelluntur aduerſariorum argumenta è ſcripturis petita.

CAPVT VNDECIMVM.

Miraculis illuſtribus Deus Opt. piam gratamq; nunc ſibi teſtari dignatus eſt Sãctorum venerationem.

Epilogo harum trium antitheſeon ſubtexitur digreſsio, quæ miracula duo habet cumprimis illuſtria, quibus Deus Opt. veram ſuorum Sanctorum gloriam à graſſantium apud Belgas Goeſſeorum iniuria, nefariaq; contumelia vindicare in ſacrilegos Iconoclaſtas, impioſq; blaſphemos eſt dignatus.

CAPVT DVODECIMVM.

IIII. Antitheſis de bonorũ operum meritis & ſatisfactione.

De piorum operũ meritis & ſatisfactione, quòd hæc Chriſti gloriam adeò non obſcurant, vt illuſtrent magis; vbi de operum bonorum efficacia, & pia fiducia, & quo fine ſint Chriſtianis præſtanda.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

V. Antitheſis de S. Euchariſtia.

Non eſſe re vera cõtrouerſiã Catholicis de Trãſubſtantiatione cũ Cõfeſſionis verè Auguſtanæ profeſſoribus, quia inter eos anno 30. rectè de ea cõueniebat, quod argumentis plurimis irrefragabilibus demõſtratur: ſed quidã degeneres Confeſſio-

fessionistæ & Confessionẽ ingenuẽ Augustanã, & Apologiam eius primã adulterarunt, idque non verbis solis, sed & sententiis Scripturarum atque Patrum testimoniis Ecclesiæ Catholicæ suffragãtibus, quod facinus nefarium ipsis 4. plagiis in theatrũ retractis docetur, & superintendentium aliquot, potissimùm Heshusij verbis, de sacrilega Vvittembergens. Theologorum fraude queritantium, confirmatur.

Confessio verè Augustana primaq; eius apologia Catholicis fuit anno 30. cõsentanea de dogmate transubstãtionis, ex testimoniis Lutheri, Melanchthonis, Heshusij, Aerythræi, &c.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Improba Valentini Aerytrhæi impudentia detegitur, qui istam Confessionistarum fraudem, manifestariamque falsationem audet dicere bono factam consilio.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Anno illo 30. cùm oblata fuit Confessio Augustana, Philippum Melanchthonem verè sensisse atque propugnasse adeò plurimis contra Oecolampadium Patrum Orthodoxorum testimoniis Transubstantiationem, quæ longiore deinde confirmatur aliorum etiam Scriptorum veterum catalogo, vbi & D. Theodoretum idem cum aliis Orthodoxis omnibus PP. sensisse docetur, contra friuolas Kemnitij cauillatiunculas.

Ex perpetuo Patrum Orthodoxorum consensu diuina transubstãtiatio stabilita.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

De Euangelico S. Eucharistiæ vsu, quod est sacrificium à Christo institutũ, vbi docetur Do. Christũ corpus suũ Deo patri in cœna nõ solũ obtulisse, sed Apostolos in sui memoriã facere, hoc est offerre, iussisse; testibus totius orbis Christiani Patribus, quorum ex consensu perpetuo demonstratur, semper fuisse Corpus Domini in missa deo Patri sacrificatum. Itẽ ex cõsensu Apologiæ cõfessionis Augustanæ rectè offerri in laudẽ, in gratiarũ actionẽ, pro gloria martyrũ; item pro viuis & mortuis; deniq; quòd est propitiatoriũ pro peccatis expiandis, ostenditur ex perpetua Patrum Orthodoxorum totius mundi doctrina Catholicis vbique terrarũ consentanea.

S. Missæ sacrificium à Christo institutũ testib. totius orbis patribus.
Rite offertur in Missa pro viuis & mortuis ex cõsensu verę apologiæ Cõfessionis Augustanæ.
Missã esse propitiatorium sacrificium ex perpetuo PP. Orthodoxorũ consensu.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM

Sicuti Mosaici sacrificij typus postulabat offerri Christum in cœna ante oblationem in crucis ara: ita diuinum Malachiæ vaticinium efflagitat, toto orbe mundam Dominici corporis hostiam deo patri offerri.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Responsio ad argumenta Confessionistarum contra quotidianum S. misse sacrificium, & Christi in S. Eucharistia adorationem, quæ Orthodoxorum Patrum perpetuo & vniuersali doctrina stabilitur atque ex consensu Lutheri, Buceri, & Ioach. Vvestphali religiosa & pia demonstratur, qui fatetur Luthe-

Adoratio Christi in S. Eucharistia cõfirmatur e perpetua Orthodoxorũ PP. doctrina.

Lutherani Christũ Deũ in Eucharistia adorãt, teste Ioachim. VVestphalo, idque ex mãdato Dei.

Lutheranos Christum Deum in S. Eucharistia ex Dei mandato adorare.

CAPVT DECIMVMNONVM.

S. Eucharistiæ circungestationem non esse tollẽdam, sicuti nec reseruationem eius in vsus ægrotorum, quod ex consensu Theologorum VVittembergensium statuitur: deinde post inuestigatam piæ circũgestationis originem ex probata plerisque omnibus Lutheranis eleuatione, aliquot argumentis N. Pacificatoris respondetur, qui suasit magno Ecclesiæ lucro solennem S. Eucharistiæ circumgestationem abolẽdam. Exponitur deinceps, quantopere isti bifrontes Pacificatores Reipub. noceant, pacemque publicam nunc multis capitibus de S. Eucharistiæ eleuatione, de reseruatione, de festo Corporis Christi, eiusque in Missa sacrificio coalescentem inconsultis suis pacificationibus interturbent, deterioremq; facere non cessent.

Circũgestatio solennis S. Eucharistiæ defensa: cuius origo eruitur multo vetustißima cõtra N. pacificatores malè consultos.

EPILOGVS cum transitione ad sequentes antitheses.

APOLO-

APOLOGETICI PRO RELIGIONIS CATHOLICAE CONCORDIA,

TOMVS SECVNDVS.

Prima Antithesis vtriusque (Catholicorum & Confessionistarum) doctrinæ.

De invocatione.

Scriptura sacra (inquiunt Confessionistæ) Prophetarum & Apostolorum de Inuocatione magno consensu docet vnum & solum Deum inuocandum esse & adorandum, atque ab hoc solo petendum & expectandum auxilium in necessarijs omnibus.

Responsio Wilhel. Lindani.



HOC DOGMA QVOD CONTROVERsiarum fidei faciunt initium præclari isti Confessionistarum delecti defensores, si candidè, quod Catholici profitemur, accipiatur, nihil planè obstiterit quin facilis cōciliatio Ecclesiarum fiat. De re namq; nullo negotio inter nos cōueniat, puta vnum Deum & solum Deum inuocandum atque adorandum vt Deum; in quo vtriusque partis consensio est: cæterùm de auxilio, an sit petendum à Deo solo, ita vt non ab Apostolis, alijsque Dei filijs, litem mouent Confessionistæ. Sed quemadmodum olim illa hæreseôn omniū cloaca impurissimus Machumetus frustrà sibi ab amore ac desiderio nomen mētitus, hoc à dogmate suum exordiebatur funestum Christianorum dissidium: ita eodem instigante, dissidiorū authore, diabolo, istis anonymis Confessionistarum patronis suæ perniciosissimæ à

Consensio facillima de hoc cōtrouerso dogmate, si candidè accipiatur Catholicorum doctrina.

Cur ab hoc doctrinæ capite iactum cōtrouersiarum fundamentum.

Machumet Syris sonat quod latinis Desiderius, & Græcis Erasmus: quod in illū per Antiphrasin verè quadrat.

Catholica Christi Ecclesia discessionis, sacrilegæque apostasiæ initium faciundum videbatur. Verùm quibusnam scripturarum locis, aut Veterum PP. testimoniis nixi tam parricidale excusare studeant bellum, nunc expendamus. Dogma igitur suum aliquot probat locis scripturarum, quæ nos partim admittimus, Deutero.6. Matth.4. Psal.5. Esa.63. Quæ autem videntur aduersari Catholicæ doctrinæ, nos hic, vti & in posterum, subiiciemus suo genuino reddita sensui post Anthithesin Catholicorum; quos aliud fingunt docere, quàm Scriptura habet, aut Orthodoxorum PP. consensus: quem nos Catholicis Ro. Ecclesiæ filiis esse consentaneum, hosque nihil contra Dei verbum sentire, aut peregrinum docere, demõstrabimus. Talem igitur Confessionistæ hic faciunt Antithesin doctrinæ Catholicorum de Inuocatione.

„ Papatus ex aduerso (inquiunt) & Romana Ecclesia do-
„ cet inuocandos sanctos homines mortuos, & ab illis peten-
„ dum auxilium. Ex hoc vno religionis inter Catholicos & Confessionistas controuersæ capite, facillimum videre est, quonàm studio, & quàm bona fide istud scriptum concinnarint isti delecti Confessionistarum Theologi, & Cõsiliarij Politici. Et si enim pietatis specimen præseferant: res tamen ipsa manifestissimè clamat ipsos dissidij istius parricidalis sacrilego studio captos, infestóque Rom. Pontificis odio cæcos veritatem improbè dissimulare, agnitamque Orthodoxorum Patrum doctrinam Catholicis consentaneam inuidè extenuare, callidisq; commentis, data opera, impiè obscurare: quemadmodum & ex sequentibus plerisque omnibus doctrinę, quam dicunt à Roman. Pontifice totaque Ecclesia Catholica ei adhærente adulteratam & prophanatam, capitibus meridiana luce liquebit illustrius. Fingunt hoc loco Catholicos docere, contra Scripturam & Orthodoxorum PP. consensum, inuocandos sanctos, quos impiè appellant homines mortuos, non enim est mortuorum Deus, sed viuentium, ait Christus Iohan. 10. Sed quo maiorem inuidiam conflarent Catholicis, quasi cum Idololatris mortuos homines colerent, maluerunt cum Vigilantio suo auo hac de caussa olim anathemate notato, & Iuliano Apostata inuidiosè loqui,

Noui Confessionistarum patroni quãta improbitate hanc causam egerint.

Iohan. 10. Sanctos impiè appellari homines mortuos à Confessionistarum Apologeticis.

loqui, quàm diuinis ſacrarum literarum vti vocabulis, quæ ſanctos Dei homines hoc ab exilio eductos vocat Viuos Dei amicos, viuos viui Dei filios. Fides enim Chriſtiana eos non patitur vocari mortuos, quos ipſa perſpicuè docet Deo viuere. Ait quidem eos dormire, ſed mortuos appellandos Chriſtus vetat. Iohan. 10.

Pſalm. 138.

Nos ergo cum Chriſto de Chriſtiana religione loquentes, illos ſanctos cum Domino beatè viuentes, ſiue illos ſanctos Dei amicos & filios viuos hac miſera ex vita, quæ aſſidua mors eſt, tabeſque perpetua, ad illam cæleſtis patriæ vitam, quæ demum vera eſt vita, euocatos totam per Eccleſiam Catholicam obtinemus inuocandos ad auxilium. Hac de cauſſa præclari iſti Confeſſioniſtarum Patroni nos accuſant impietatis, ſacrilegij, idololatriæ. Nos verò hac in re omnino vllam negamus eſſe impietatem ſitam, vllamúe à nobis deſignari idololatriam: quam dum nobis iſti Euágelici ad vnum omnes exprobrare non verentur, primumque ſui diſſidij caput faciunt, non obſcurè ſeſe ipſorum prodit, quo aguntur, ſpiritus, minimè ſanctus.

Siquidem ab hoc Religionis capite ſimili planè impietate atque calumnia exorſus, vti nuper indicabatur, Machumetus deplorandum ſuum ſchiſma in Chriſtianam inuexit Eccleſiam. Quò enim Iudæos ad ſe pelliceret faciliùs, perſuaſit Chriſtianos, à quibus impius deſciuerat, ſua doctrina plures, paganorum more, introducere Deos, quòd ſanctos martyres inuocant. Quod Machumetani ſchiſmatis fundamentum quàm calũnia ſcateat verè Sathanica, mox liqueſcet planius.

Cur Machumetus à Sanctorũ inuocatiõe ſuas exorſus ſit calũnias cõtra Chriſtianos.

Optimè verò habet, quòd doctrinæ ſuæ & Catholicę iſti Cõfeſſioniſtarum patroni antitheſin hoc à religionis capite ſunt exorſi. Hinc enim, Chriſto aſpirante, liquebit ipſos nouæ ſuæ doctrinæ, quam vocant, Euangelicæ, prætextu, non ſolùm impia priſcorum hæreticorum ab Orco reuocare dogmata: ſed manifeſtò etiam renouare ipſiſſimas blaſphemias, quibus pagani olim Chriſtianos paſſim traducebant, vexabant, illudebant. Sed vt illis iuſta fuit venia danda, quòd ex ignorantia peccarent; (neſciebant enim quonàm cultu, aut quo inuocationis genere ſanctos ſuos Dei martyres Chriſtiani colerent,

Sathanã nũc per Euangelicos idẽ moliri, quod olim per Paganos & Machumetum à Chriſto apoſtatam.

Confeſſioniſtæ impia priſcorũ renouant dogmata, & priſcas Ethnicorum calumnias contra Chriſtianos.

aut inuocarent) ita Confessionistæ nulla apud Deũ cordium cognitorem,sunt venia digni ; vt non dixerim ipsos in spiritum S.peccare, quòd agnitam doctrinam Catholicis omnibus familiarem,in alium maligno studio detorquent sensum, quàm ipsi docent.

Discrimen solidũ inter Christianã inuocationem Dei & sanctorum.

Non enim Sanctos diuino cultu colimus, aut tanquã Deos adoramus siue inuocamus,quos sua potestate credamus nobis posse auxiliari,aut quibus sacrificiũ illud peculiare, quod Christiano vocabulo latriás, diuinæque seruitutis appellamus: sed solùm tanquam Dei amicos,Dei seruos,immò Dei filios; qui precariò nobis vota impetrent,aut nobiscum comprecatores efflagitent à communi Domino & Patre nostro cęlesti, quem vnum verum credimus, agnoscimus, colimus Deum. Hunc solum iuxta eius verbum Deuter. 6. & Matth. 4. vt Deum adoramus; ei soli,vt Deo seruimus,immolamus, sacrificamus,verè diuinum cultum,diuinam seruitutem, diuinam denique latriam pia religione offerentes.

Sancti aduocantur in auxilium vna nobiscum à Deo efflagitandum.

A Iudæis orta calumnia quòd Christiani sanctos diuinis honoribus colant.

Hunc diuinum cultum Iudæi primùm & Pagani olim, vti nunc Confessionistæ,clamitabant Christianos suis Martyribus,hoc est Sanctis Dei hominibus iam cum Christo regnantibus impendere,vti dicertè apud Euseb.in vita Sancti Polycarpi legitur,vbi Iudæi Paganos instigant, ne patiantur illius corpus flammis frustra traditum, sed diuina vi intactũ Christianos abripere,ne fortè (inquiebãt) deserto Crucifixo hunc colere, σέβειν,atq; adorare incipiant. Verùm quonam cultu suos martyres vel primi illi Christiani Apostolorum discipuli (nam plerique illorum vnà cum D. Polycarpo suo Episcopo D.Iohannem Euangelistam aliosq; Apostolos audierant) coluerint,satis superque Ecclesia Smyrnæorum illa Epistola ad Ponti Ecclesias data exposuit. Ignorant miserrimi, inquiunt, quia neque Christum possumus deserere,neque alium quenquam colere,σέβειν,adorare.Hunc enim tanquam Dei filium adoramus: martyres verò tanquam Domini discipulos & imitatores ἀγαπῶμεν ἀξίως, vti dignum est, diligimus propter inuictam ipsorum erga Regem & magistrum charitatem,quorum nos & socios & discipulos fieri optamus.

Iudæi Christianis anno Domini fere 150. exprobrant,quod nũc Confessionistæ. Euseb.libr. 4. cap.15.

Apostolorũ discipuli eiusdem impietatis nobis obiectę accusati distinguũt inter cultus varij genera. Solum Deũ colimus & adoramus.

„

„

Calumniæ Fausti Manichæi &

Similiter & D.Augustinus Faustum Manichæũ cõmemorat

rat Catholicos fuisse calumniatum, quòd martyrum memorias in Idola conuertissent. Sed omnium impudentissimè Iulianus Apostata, quo nullus omnium (teste D. Cyrillo libr. v. præfat.) in Christianos fuit dicacior aut maledicentior. Is igitur suis scriptis Ro. populum, aliosque sibi subditos ad Deorum suorum mortalium cultum reuocans; Auscultátes Christianorũ sermonibus decepti estis (inquit apud D. Cyrillum lib. 6.) & non vnum adhuc colitis Deum, sed hominem (Galilæum Christum) immò & alios multos infelices, & cæt.

Iuliani A. apostatæ cum illis Confessionistarum criminibus Catholicæ Ec. obiectis sunt eędem, vnde & Veterũ PP. abolétur sentétiis.

Quid ergo vetat eadem oratione istam blasphemam Confessionistarum calumniam illi paganicæ, immò Iudaicæ germanissimá refellere, qua illi PP. olim imperitam paganorum refutarunt blasphemiam? At sanctos martyres, ait Iuliano D. Cyrill. libr. 6. neque Deos esse dicimus, neque adorare consueuimus. Laudamus potiùs eos summis honoribus, quòd pro veritate strenuè certarint. Copiosiùs D. Augustinus. Nec tamen nos eisdem martyribus (inquit de Ci. Dei, li. 8. cap. 27.) templa, sacerdotia, sacra & sacrificia constituimus, quádo non ipsi, sed Deus eorum nobis Deus est. Rursus paulò inferius.

D. Cyrillus negat nos adorare martyres.

D. Augustin. de Ci. 8. cap. 27. Martyres nobis nõ sunt Dij, sed ipsorũ Deus nobis vnus est Deus.

Nos itaque martyres nostros nec diuinis honoribus, nec humanis criminibus colimus, nec sacrificia illis offerimus. Rursus lib. 22. cap. 10. Sed nobis martyres non sunt Dij, quia vnũ eundémq; Deum & nostrũ scimus & martyrũ. & infrà, Nos autem martyribus non templa fabricamus, nõ altaria, in quibus sacrificemus martyribus, erigimus: sed vni Deo & martyrum & nostro sacrificium immolamus.

Martyribus nõ sacrificamus, neque templa fabricamus.

Similiter & maximo Medaurens. philosopho Christianos de martyrum idololatria calumnianti D. Augustinus respondet. Ne te in sacrilega conuitia (inquit epistola 44.) ignorátia imprudentem trahat: scias à Christianis Catholicis nullum coli mortuorum, nihil denique vt numen adorari, quod sit factum aut conditum à Deo: sed vnum ipsum Deum, qui fecit & condidit omnia.

Nihil vt numẽ adoratur quod creatum est. Nullus mortuorũ vt Deus colitur.

Hîc hîc Confessionistæ aures arrigite, & illam D. Augustini testis fide dignissimi verba aurea seriò expendite. Non ipsi martyres: sed Deus ipsorum nobis est Deus. Rursus, Nos martyres nostros non diuinis honoribus colimus, neque sacri-

ficia offerimus: non martyribus, ſed martyrum Deo immolamus. A Catholicis enim Chriſtianis vnus colitur Deus.

Repræhenditur immodicus D. Virginis Mariæ cultus, quam vt Deam adorandam negat Epiphanius.

Rectè igitur D. Epiphanius ſtolidas aliquot mulierculas per Arabiam & Schytiam reprehendit, quæ ex imperitia D. Mariæ virgini panem offerebant, & in nomine eius immolabant: quod Maria ſancta fuit, & honorata, inquit, ſed non ad adorationem nobis data. non enim quiſquã ſanctus adoratur: non „ enim dominabitur nobis antiquus error, vt relinquamus viuentem, & adoremus ea, quæ ab ipſo facta ſunt. Quo autẽ ſenſu neget adorandos ſanctos, inferius explanat: Carnem induit „ Dei verbum (inquiens) ex ſancta Virgine, non tamen vt adoretur Virgo, neque vt Deum efficeret, non vt in nomen ipſius „ offeratur.

Theodoretus negat martyres vt Deos coli: ſed debitos tamẽ honores eis perſoluendos.

Similiter & D. Theodoretus eidem illi Paganorum calumniæ lib. 8. de Curat. Græcarum affect. reſpondens diſertè docet, Chriſtianum populum nullos martyres in Deos referre, ſed debitos eis honores perſoluere, vt Dei teſtibus ſeruiſque amantiſſimis. Deinde inferius quonam ſtudio atque pietatis cultu populus Chriſtianus ſacra martyrum buſta accedat exponens, Qui peregre (inquit) proficiſcuntur, petunt martyres ſibi comites, vel potius itineris duces: qui verò iam ſoſpites redierunt, gratias agũt, acceptum beneficium confitentes. Non qui ſe ad Deos accedere arbitrẽtur: ſed qui orent Dei martyres, tanquam diuinos homines, interceſſoreſque ſibi eos apud Deum aduocent ac precentur.

Quo ritu & aduocationis formula olim ſancti à Chriſtianis in auxilium inuocati & rogati.

An non hic liquidò videant Lyncei iſti Confeſſioniſtarum Patroni eandem ſeſe nũc Chriſtianis calumniam cum Paganis, immo cũ Iuliano apoſtata & Machumeto obiicere, quod eiſdem planè verbis olim Pagani, adeóque Iudæi priſcis exprobrabant maioribus noſtris Chriſtianis?

CAP. II. Confeſſioniſtæ apud Deũ ſunt inexcuſabiles de manifeſta calũnia: ſed excuſatis principibus Ro. Imperij & conſiliariis Politicis, accuſantur eorum pſeudo Theologi.

SED illis, quod diximus, ignorantia conciliauit veniam: vobis autem, Viri Euãgelici, quęnam eſſe queat veniæ ſpes? non ago nunc de illuſtriſſ. Principibus (quibus cum nihil in præſentiarum negotij eſt, quos fraudulenter veritate priuari indoleſcimus, & apud Do. aſſidui deploramus) non ago nunc de Clementiſſ. Confeſ. Auguſtanæ ordinibus, ipſorumúe Conſiliariis Politicis, quibus iuſta fortè eſt accuratioris Theologi-

carum

carum rerũ cognitionis excuſatio: ſed vos appello hîc Theologos, qui veſtris Dominis, Statibus imperij, & Ordinibus Cõfeſſioni Auguſtanæ addictis, iſtam operam nauaſtis cùm infidam tum verè ſacrilegam. An nõ legiſtis Vet. omnes PP. Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Baſilium, Nectarium, Chryſoſt. ſanctos Dei martyres inuocare? Sed demus vos iſtorum in ſcriptis hoc non legiſſe, aut animaduertiſſe potiùs. Eſtis enim plerique aliorum futilibus rapſodiis, leuiculiſque centonibus facilè contenti, aut vno præclaro illo locorũ communiũ Melanchthonis libello apprime inſtructi: quibus ſi illa veſtratis Lutheri aurea haus-poſtilla acceſſerit, iã demũ Theologi omnibus propè numeris vobis videmini abſolutiſſimi.

Quo autem colore excuſabitis, vos iſthæc contra veſtram non egiſſe, aut ſcriptitaſſe conſcientiam, qui in Catholicorum huius ætatis ſcriptis à vobis hîc recitatis, iſtud liquidò demonſtratum non potuiſtis non legere, non ſentire, non videre?

Anonymos Cõfeſſioniſtarum Theologos rem mala fide gerere, atque contra ſuam ipſorum conſcientiã nos calumniis oppugnare.

Cùm enim ipſorũ verba, periochas, capita & ſententias paſſim iſto in ſcripto diligenter admodum recitetis, an non reclamante conſcientia iſtud negotium agitis?

Vt nunc præclariſſimos alios huius memoriæ ſcriptores Catholicos æterna ſanè memoria digniſſimos vobis lectos (quia hîc perſępe recitatos) breuitatis cauſſa ſilentio prætereamus, an non in Panoplia noſtra toties hîc ad verbum (ſed qua fide videbimus infrà commodiùs) recitata vidiſtis longa Chriſtianorum ſeculorũ ſerie cõmemoratos Patres Orthodoxos, qui ſolemnem Catholicis in hanc vſque diem ſanctorum Chriſti martyrũ atq; Dei filiorum inuocationẽ faciunt conteſtatam? Non enim vos iſtum Vet. PP. conſenſum illic vidiſſe, quis vobis credat, qui tam varia controuerſorum dogmatum capita ex ipſa hac noſtra Panoplia, de matrimonio, de S. Euchariſtia, de communione, aliiſque rebus diſertè ipſi recitaſtis.

Si vidiſtis, mala fide igitur vos iſtam rem gerere, negare non poteſtis; qui manifeſtam Patrum Orthodoxorum diſſimulatis doctrinam Catholicis cõſentaneam, tam liquidis ipſorum verbis conteſtatam atque confirmatam.

Deinde vos mala fide rem tanti momenti, gerere vel hinc certò conuincamini, quòd omiſſis illis, immo contra conſcientiam

Veteres Patres diſſimulãt Confeſſioniſtarũ Patroni, pro nobis ſtare.

tiam dissimulatis antiquis Patribus Orthodoxis Ecclesiæ Catholicæ doctrinam confirmantibus, allegatis obscuriores aliquot doctores, quorum quasi præcipuè testimoniis Catholica nitatur Ecclesia ad hoc fidei suæ Christianæ caput statuendũ.

Quid enim opus fuit allegare Petrum Lombardum, Bonauenturam, Casperem Sargerũ, &, si Christo placet, Psalterium Virginis ante annos, inquitis, 86. Venetiis impressum? An istorum fide & authoritate nititur Catholica Christianorum Ecclesia ad statuendam sanctorum Dei martyrũ inuocationem?

Sed hac arte exosam vobis doctrinam licuit facilius imperitis persuadere esse fictitiam; quia obscuris illis aliquot hominibus, recentioribusque nixa videretur authoribus. O fraudulentum cõmentum Euangelicis sanè viris indignissimum!

Sed ne diutiùs agnitam vobis inficiari queatis veritatem, neque fraude prorsus Sophistarum (quos verissimè Aristoteles, teste Cle. Alexãdrino, Veritatis dixit fures) vestros diutiùs decipiatis dominos, Imperij Ro. Ordines, paucis demonstrabimus Catholicam Christi Ecclesiam, à qua vos arte planè Sathanica illos sacrilegè studetis abducere atque distinere, Orthodoxos omnes Patres suæ de pia sanctorũ inuocatione doctrinæ habere & testes & magistros ante annos plus minùs 1000. illustrissimos.

Libr. Stromatum.

Quod vt citra omnem prorsus ambiguitatem fiat pio Lectori indubitatissimum, agedum, nunc in medium veniat totus ille veterum Orthodoxorum Patrum chorus, meritóque optimo piis omnibus venerandus Christi Iesu Ecclesiæ Senatus, cuius & membra erãt, vti & nos, & veram hanc ipsius doctrinam omnes voce, plærique scriptis, plurimi sua vita, suóque adeò sanguine pro illa fuso confirmarunt testatioremq; reddiderunt.

Porrò, ne quis calumniandi relinquatur maleuolis argutisque (quorum plena sunt omnia) sophistis locus, nos illos tantum ordine recitabimus Patres Orthodoxos, qui ante annos plus minùs mille florentissimi Christianam propagarunt, ornarunt, illustraruntque doctrinam, priusquam Germania nostra vllam illustriorem aut constãtiorem de Christo, Deóque vero publicè suscepisset cognitionem aut professionem: quo vel

vel tandem oculos recipiat, videatque & ipsa se olim germanè regeneratam Christi Iesu Euangelio eidem Catholicæ fuisse insitam Dei Ecclesiæ, cuius diuinam ab initio traditam doctrinam nunc seducta temeréque persuasa velut Idololatricã impiè detestatur & execratur. Quare allatis ex illis III. Sanctę Dei Ecclesiæ columnis Ambrosio, Chrysost. & Augustino irrefragabilibus de pia sanctorum Inuocatione testimoniis, quòd illos potissimum aduersus Catholicam doctrinam præclaris istis Confes. Augustanæ propugnatoribus adducere placuit, reliquum pertexemus Orthodoxorum Patrum catalogum, vt suo iugulati gladio agnoscere cogantur sese à perpetuo Ecclesiæ Dei consensu peregrina sectari dogmata.

Quisnam ordo hic seruãdus in veterum PP. testimoniis de sanctorum inuocatione.

Prodeant igitur in theatrum tres illi testes fide dignissimi, quorũ verba aliquot frustulatim auulsa, sacrilegè deprauata, & impiè detorta nobis obiicere non dubitarunt isti anonymi Confessionis Augustanæ Apologetici.

An D. Ambrosium de sanctorum Inuocatione dubitasse nedum pro idolomania habuisse credas, quum eum libro de Viduis audis perspicuè sonantem, obsecrandos esse Angelos, qui nobis ad præsidium dati sunt? obsecrandos etiam martyres, quorum videmur quoddã corporis pignore patrocinium vendicare? Nam Christi martyres (inquit lib. 10. in Lucã c. 21) Principibus seculi anteferũtur. Nam reges ac principes fiunt supplices: illi patroni. Hinc magna fiducia populũ suum Mediolanen. hortatur: Rogemus Petrum (inquit Ser. 32.) vt nobis Regiæ cælestis ianuas aperiat. Rursus lib. 10. in Lucã c. 22. Vnde te euocem Petre, vt doceas me, quid flens cogitaueris: Doce nos quid tibi profuerint lachrymæ tuæ. Sic epist. 32. li. 5. Aduertitis ergo (inquit. de Angelis custodibus loquens) quòd seruulos Christi magis custodiant qui non vidẽtur, quàm qui videntur. Sed & illi (Angeli) si custodiunt, vestris custodiunt orationibus aduocati. D. Iohannem Chrysosto. sic & sensisse & docuisse manifestius est, quàm vt vel cæcus dubitet. In liturgia orat D. Michaelem, vt suis intercessionibus nos muniat. Item S. Nicolaum Patrem orat, vt legatione fungatur apud Christum Deum, vt salutem animę consequamur.

D. Ambrosius angelos & martyres nobis obsecrãdos docet.

Sancti Regibus supplicib⁹ apud Deum sunt patroni. Ambros.

D. Petrũ docet orandũ Ambr.

D. Chrysosto. S. Michaelẽ orat, & S. Nicolaum facit legatum ad Deum.

Sic & Homilia I. ad Philippen. His itaque cognitis, nec san

ctorum preces contemnamus, neque totum in illos proiiciamus, & cæt. ἀλλὰ καὶ παρακαλῶμεν εὔχεσθαι ὑπὲρ ὑμῶν καὶ χεῖρα ὀρέγειν, καὶ αὐτοὶ ἐχόμεθα ἀρετῆς: sed obsecremus etiam, vt pro nobis orent, atque precentur, manumque porrigant, adhæreamus & ipsi virtutis studio, & cæt. Neque verò suos Chrysostomus tantùm hortatur ad piam sanctorum inuocationem: sed quidnam sua ætate publicus etiam Christianorũ mos habuerit, alibi exponit.

Ipse qui purpuram indutus est, inquit homil. 66. ad populum Antiochenum, accedit illa seruorum crucifixi, hoc est, Apostolorum complexurus sepulchra, & fastu deposito, stat sanctus supplicaturus vt pro se apud Dominum intercedant, & scenarum fabrum & piscatoré etiam mortuos orat, & protectores orat, qui diademate redimitus incedit. Et infrà: non hoc tantum quis Romæ videat, sed & Constantinopoli.

Inuocandi Sanctos ad auxiliũ & intercessioné apud Deũ mos Romæ & Constantinopoli.

D. Augustinum eiusdem fuisse & sententiæ & doctrinæ paucis est nunc exemplis demonstrandum. Grauem admodum ingressus contra Donatistas luctam, Adiuuet nos (inquit lib. 7. c. 1. de baptis.) Cyprianus orationibus suis in ista carnis mortalitate laborantes, vt donante Domino quantum possumus, bona eius imitemur.

D. Augustinus S. Cyprianũ inuocat vt se adiuuet.

Rursus, cum toto mentis affectu beatissimæ Virginis nos intercessionibus committamus (inquit serm. 2. de assumpt.) omnes eius patrocinia omni nixu imploremus.

Item Ser. 11. de conuersione D. Pauli, testatur excellentiam Imperatorũ genibus prouolutã adorare Petrum piscatorem. Sic & To. 10. ser. de sanctis, Commendemus nos orationibus S. Stephani. Item ser. D. Laurent. oremus igitur fratres, D. Laurentium & cæt. Sic igitur præclari illi tres Orthodoxi PP. Ambros. Chrysost. & Augustin. de pia sanctorum ad auxilium inuocatione sensere, suósque docuère.

Imperatores adorãt Petrum, ait Augustinus. Extat in codice homil. Louan.

Venio nũc ad aliorum Orthodoxorum Patrum catalogum, qui hanc piam sanctorum inuocationem demonstrabit toto semper orbe Christiano cum notam, tum vsitatam, vt pius lector meritò miretur, ausos fuisse illos Confessionistarum patronos hac de re Catholicam vexare Ecclesiam, impiéque accusare idololatriæ.

D. Vi-

D. Vigilius Tridentinus in Germania (teste Plinio & Strabone) Episcopus sub annum Domini 500. doctrinam suæ Ecclesiæ luculenter in vita D. Sisynij & aliorum ad D. Simplicianum, D. Ambrosij Mediolanen. successorem tradit. Nunc me immeritum vtrique consortem paterno amore consolare, & cum eisdem sanctis apud ipsum exorator accede, & quæ sequuntur. Anno Do. 500. D. Vigilius S. Sisynium inuocat exoratorem.

Theodoretus libro 8. Græcanic. affect. Christianos à martyribus busta sacrasq; ipsorum reliquias frequẽtantibus ex more petere docet bonæ valitudinis cõseruationem, steriles prolem dari, parentes sua conseruari pignora, peregrinantes sibi illos cupere itineris comites, immo duces: quæ omnia citra inuocationem fieri nequeant. Anno. 480. D. Theodo. docet martyres inuocari solitos.

Georgius Alexandrinus testatur populum Christianum solenni de more accurrisse ad S. Reliquias D. Iohan. Chrysostomi, iussu Theodosij Iunioris reuocatas honorandas. omnes ad vnum qui in Ecclesia (inquit in vita eius) deprehensi sunt, concurrisse vt eum supplices venerarentur. Anno. 400.

S. Victor Vticen. sub finem lib. 3. de persequutione VVandalica, Deprecamini Patriarchæ (inquit orat. ad omnes sanctos) de quorum stirpe nata est Ecclesia. Orate SS. Prophetæ. Estote Apostoli suffragatores eius, & cæt. Anno. 480.

Iustinianum A. cum medicorum auxilio destitueretur, ait Procopius libro primo Hist. relicta arte humana, fiduciá ad reliquias SS. quatuor martyrũ vertisse, qui olim Ro. milites fuerant. quo autem euentu istorum patrociniis sese crediderit, atque pro more tunc Christianis solenni eorum auxilia implorarit, idem non subticuit, illum in summa necessitate veris opinionibus fuisse adiutum differens. Anno. 530, Vide Procopii libr. 1.

D. Maximus Taurinen. vt sanctorum martyrum inuocationem certiùs suis persuaderet, docet ser. in natali Tauricorum martyrum, sanctos vel post hanc vitam esse defensores. Cùm enim dixisset, Cunctos martyres deuotissimè percolẽdos, sed specialiter eos venerandos à nobis, quorum reliquias possidemus, subtexuit, Ideo fratres, inquit, veneremur eos in seculo, quos defensores habere possumus in futuro. Anno. 400. D. Maximus.

D. Hiero. disertis verbis suam Paulam hinc euocatam orat, Anno. 415. D. Hierony.

Vale ô Paula! (inquit Epithaphio) & cultoris tui extremam ſenectutem orationibus iuua, fides & opera tua Chriſto te ſociant, præſens facilius quod poſtulas impetrabis.

Anno. 410. Prudentius in hymnis mart. Ephrem in ora.

Prudẽtius D. Laurẽtium, D. Hippolytum, alioſq; martyres inuocat hymnis in illos ſcriptis, Hos inter, ô Chriſti decus audi & Poetã Ruſticũ. Ephrem magni Baſilij diſcipulus D. Virginem Mariam appellat vnicam ſpem deſperãtium, oppreſſorum ſubſidium, omniũ Chriſtianorum profugium, eam orans vt Deus eius precibus, & Prophetarum ac martyrum interceſſionibus, omniumq; ſanctorum ſupplicationibus ſuæ creaturæ miſereatur.

Anno. 360. Nazianz. Baſiliũ inuocat in auxilium.

Nazianzenus in monodia ſic Baſilium inuocat: Tu obiter è cælo nos reſpice, & datam mihi renum debilitatem ac articulorum dolorem vel iube diſcedere, vel adiuua. Sic & D. Athanaſium interpellat. Tu autem è ſuperius (inquit orat. 25.) propitius nos reſpice, & populum ſanctum dirige S. Trinitatis adoratorem, & nos in pace foue & compaſce.

Similiter & D. Cyprianum orat, Tu tandem Cypriane (inquit orat. 19.) nos ab alto propitius reſpice, noſtrumque ſermonem ac vitam dirige, & ſanctum ouile hoc paſce, aut vna rege, ac reliqua ad meliora diſpone, moleſtos lupos ſyllabarum & verborum venatores abige, ne debacchetur atque graſſetur aduerſus templa altariáue rabioſus & ſceleratus Barbarus, ne conculcet ſancta prophanis & impius.

Anno. 370. D. Gregorius Nyſſenus.

Hunc in modum & D. Gregor. Nyſſenus D. Theodorum interpellat, Tu verò huc iam ades ad nos, vbicunque tandem fueris, vt diei feſto præſis: Veni ad hos, qui te honorãt, cognoſce ac viſe ferias, quæ celebrantur. Timemus aflictiones, expectamus pericula, non longè abſunt ſceleſti Schytæ, bellum aduerſus nos parturientes. Vt miles propugna pro nobis, pete pacem, vt hi publici conuentus non deſinant.

Anno. 355. D. Baſilius ſuis martyres propo nit vt patronos inuocandos.

D. Baſilius illos ſuos 40. martyres ſuo populo proponit nõ ſolum in exemplum, ſed vt patronos & apud Deum interceſſores. Quanti laboris fuit, vt vnum aliquem reperires, qui pro te Dominum placaret: quadraginta iam ſunt, concordem orationem ſurſum mittentes.

Necta-

Anno. 350. Nectarius.

Nectarius oratione in D. Theodorum à Iuliano Apostata trucidatum sic orat: Cum Deo iam assistas, inquit, proximus, ἵλεω Christum redde propitium.

Anno. 340. D. Athanasius.

Sic & D. Athanasius D. Mariam inuocat, Et iam audi (inquit homil. in Euang. de S. Dei para. ex Nannij versione, fol. 638.) filia Dauidis & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces nostras, & ne obliuiscaris populi, neque nostri: qui sumus de familia & domo patris tui. Et infrà, Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima virgo.

Anno. 250. D. Cyprianus. Libr. 1. Epistola 1.

Cyprianus cum Cornelio Ro. scribit, si prior hinc discesserit, vt sui apud Deum meminerit, an non docuerit sanctos post hanc vitam pro nobis orare, ideóque ex more Ecclesiæ Catholicæ fuisse inuocandos? Apud misericordiam patris, inquit, non cesset oratio pro fratribus & sororibus nostris. Certè illa ætate, nimirum sub annum Domini 250. fuisse sanctos publico ex more Christianorum inuocatos, ipse Cyprianus in vita sua (teste D. Gregor. Nazianzen. orat. 14.) disertè confirmat.

Siquidem recitat ex Cypriano exemplum Christianæ virginis, quæ magicis vexata fascinis, philtrisque fatigata amatoriis, virgo virginē Mariam ἱκετεύουσα βοηθῆσαι inquit, supplex rogabat, vt periclitanti adesset.

Anno 100. Aetate D. Panteni & Cle Alexādrini sanctos fuisse inuocatos.

Quod autē anno circiter 100. id est, Apostolica illa D. Panteni, & Clementis Alexādrini ætate, sanctos nō modo veneratione, sed certa etiam inuocatione Christiani coluerint, satis liquet apud Eusebium de sancta Potamiæna Virgine martyre, quæ non modo Basilidi suo Carnifici humanitatis beneficium, precibus post mortem impetrauit: sed suis quoque con discipulis, siue potius Concatechumenis & Competitoribus, qui vnà cum ipsa in Origenis adolescentis schola in Christianæ religionis rudimentis erudiebantur.

D. Potamiæna Virgo martyr sua apud Christum intercessione variis purpureas impetrat martyrij corollas.

Cùm enim Alexandrini Christiani exemplo Basilidis Carnificis planè paradoxo vereque admirando persuasissimum haberent, D. Potamiænam Virginem martyrem celeberrimam plurimum apud Dominum Christum sponsum posse, & vel impiis persequutoribus, adeóque Christianorum tortoribus resipiscentiam, beatamque conuersionem ex promisso

impetrasse, quánam censes ipse frater Christiane, fiducia pij condiscipuli illam rogarunt, vt suis fratribus, immo doctoribus præstaret, precibusq; ab eodem Do. Christo sponso impetraret, quod iam suo Basilidi tortori ex cōdicto præstitisse erat indubitatissimum? Is enim nocturna illius apparitione instructus, coronáque cælesti redimitus ab ipsa, intellexit se perbreui ad gloriosam martyrij Christiani palmā ipsius intercessione à Christo impetratam euocatum iri.

Qua sola apparitiōe tam fuit ille Basilides prætorianus miles sanè pręclarus de Christianæ religionis veritate persuasus, vt sese suis commilitonibus Christianum profiteri vel nō rogatus nihil dubitauerit. Vnde & ad tribunal adductus & in carcerem abreptus, à fratribus Christianis signaculo Domini, id est, S. Baptismo munitus, postridie heroïcū depugnauit Christiani martyrij agonē. Cuius tam stupendę conuersionis exemplo mirum in modū cæteri Christiani fuêre cum in fidei constantia confirmati, tum ad maiorem diuini auxilij precibus & intercessione D. Potamiænæ suæ ciuis atque condiscipulæ impetrandi mirificè excitati, eam interpellantes, vt idem beneficij suis piis non negaret fratribus, pristinisque condiscipulis à Christo spōso impetrare, quod tam luculēter beneuolo suo iam dudum præstiterat carnifici Basilidi. Testatur enim Eusebius Cæsarien. lib. 6. c. 4. plurimos condiscipulorum idem ab eadem beneficium consequutos. Sed & aliis plurimis (inquit sub finem. 4. cap.) per illud tempus apud Alexandriam condiscipulis suis, cū quibus verbo Dei in Origenis schola operā dederat, Potamiæna simile munus traditur præstitisse, assistēs eis per visum, & coronas martyrij impetratas à Domino deferens, & vt in Græcis quibusdam nunc legitur, plurimos cumulatè ἀθρόως numerosè ad Christi fidem accessisse, quibus per somnum apparuit, & ad Dei verbum aduocauit. Porrò quod illa ætate, id est, sub annum Domini ferè 100. Ecclesia Alexandrina sanctos Dei martyres, alióśque diuos omnes cum Christo Do. regnantes ad auxilium inuocarit, quisnā, obsecro, certior, fidelior, indubitantior huius rei quæratur testis, quàm Christianæ illius scholæ Alexandrinæ Catechista Origenes? qui Clementis Alexandrini discipulus, atq; in Catechesi successor

cessor plurimis locis,suisque Catechisticis institutionibus hāc doctrinam disertè profitetur,quam à maioribus proditam suis tunc tradidisse discipulis Catechumenis & auditoribus siue competētibus,est indubitatissimum.Origenes igitur ille Adamantius illustre Catholicæ Dei Ecclesiæ lumē,ac decus quondam singulare, ne quid de doctrina illius Apostolicæ ætatis, (quam Clemens Alexandrinus Panteni viri Apostolici discipulus Origeni discipulo tradiderat) dubites,perspicuè hanc sanctorum intercessionem atque inuocationem docet, disertisque verbis contestatum facit,fuisse tunc tēporis, immo maiorum, id est,Apostolorum ætate,Christiano populo vsitatissimam.nam homil.27.in D.Matthæum,docet discipulos Christi,cæterosque sanctos non solum tunc(in vita)sed etiam modò miranda opera erga figmentum humanum confitētes ante conspectum Christi intercedere,& Christum prouocare,vt ne deserat genus humanum propter peccata.

Idem Origenes D.Iob rogat,O beate Iob, (inquit lib.2. in Iob) viuens in perpetuum apud Deum ora pro nobis miseris. Rursus in Threnis, O sancti Dei vos lachrymis, & fletu pleno dolore deprecor,vt procidatis misericordiis eius pro me misero.Et paulò post,Hei mihi,pater Abraham,deprecare pro me, ne de finibus tuis aliener. Quàm verò id fuerit sua ætate antiquum,& originis prorsus Apostolicæ plenum,testatur homil. 3.in diuersos. Innocētum (puerorum inquit) memoria semper, vt dignum est, celebratur in Ecclesiis,secūdum integrum ordinem sanctorum,vt primorum martyrū pro Domino occisorū.Et paulò post: Bene ergo & secundum voluntatem Dei eorum memoriam sancti Patres celebrari mandarunt sempiternam in Ecclesiis,velut pro Domino morientium,velut pro gentibus & Iudæis credituris, vel etiam pro ipsis parentibus (quorum parentes,vt diximus,præ nimio dolore percutiebantur) vt eis intercessio filiorum plurimum profuisset.

Cùm igitur Catholici hos longo catalogo enumeratos Orthodoxos PP.sequamur hoc in controuersię capite de sanctorum cultu & inuocatione magistros;quis fuerit proiectę adeò audacię,ne dicam dementiæ amplius, vt in posterùm audeat nos vnà cum venerandissimo illorum Orthodoxorū Patrum

Senatu

Senatu idololatrias aut idolomanias accusare?

Quod si quis dixerit nos, vnà cum illis hominibus errare impie, Deóque iniurios esse in idololatrica sanctorum inuocatione, is Iudęos, Machumetanos, & Apostatas sectatus, nos tota cum Catholica Dei Ecclesia errare sinat, certus nos cum illa (si fieri queat) malle errare, quàm cum deliro apostatarum, Paganorũ, Turcarũ, adeóq; Iudæorũ discipulo verum dicere.

Sed vtcumque sese nunc ea res habet (nimirùm an Patres illi Orthodoxi omnes atque vniuersi Christo, Deoque iniurij atque blasphemi diuinum honorem sanctis Dei seruis Christi martyribus tribuẽtes, tam horribiliter errarint, nec ne) hac quæstione, inquam, ad tempus reposita, erat tamen à Confessionistarum Patronis istis Theologis & Consiliariis illa SS. Patrum doctrina candidè hoc in scripto Cæsareo exponenda, quò liquere potuisset veritatis studioso, nos cum illis vnũ sentire, idemque docere ac constanter profiteri.

Ista Patrum veterum Orthodoxorum testimonia, anonymi Confessionistarum Patroni vobis erant alleganda, aut saltem indicanda, si animus fuisset rem hanc ex fide atque veritate ipsa gerere: quos cùm silentio prætereatis, immo reclamante conscientia dissimuletis, atque adeò de industria deprauetis & inuertatis, an fidelem operam vestris dominis, Imperij Ro. ordinibus pręstitisse ęquis iudicibus in hac omnium maxima æternæ salutis caussa videamini?

Sed sic oportuit vos accuratam vestro mendaciorum patri diabolo nauare operam, per quam à vero Christi Euangelio, infelices Imperij Ro. ordines vestra sophistica delusos ad perniciosas seduceretis hæreses, iudicio Catholicæ Ecclesiæ iam olim damnatas, pari nàmque inuidentia, immo dementia vti & vos nunc, Sanctorum cultum & inuocationem derisit Vigilantius, Eunomius, Porphyrius, & ne quid vestro desit ordini, Iulianus, Augustus quidem Ro. Imperij, sed Christianæ fidei apostata: ad quorum exẽplum & vos Catholicam Ecclesiam insanè clamitatis idololatricã, ob pium veterum Patrũ exemplis contestatum sanctorum cultum. Sed nihil eodem illorum furore insanientibus aptius respondeatur, quàm olim illi exorienti Galliarum pesti Vigilantio D. Hierony. Quis enim insanum

Quàm præclaros sequantur magistros Cõfessionistæ, dũ Catholicos conuitiantur esse idololatras ob sanctorum inuocationem.

ſanum caput, aliquando martyres adorauit?

Et ſi enim D.Hiero. profiteatur Chriſtianos ad martyrum tumbas ſanctos colere, venerari, rogare, & ad auxilium inuocare: (obiiciebat enim ille, Si aliquis precator aduenerit) negat tamen nos adorare martyres, quo ſenſu & Catholici negamus: nimirum latria, ſiue diuino cultu, ſed tantum dulia, vti rectiſſimè à Græcis Theologis antiquiſſimis didicit, æternũque obtinebit ſchola Chriſtiana omnis Latina, aliáque omnis barbara. Qua vna diſtinctione omnis aduerſariorum corruit, planéque funditus euertitur machina in ſanctorum cultum & inuocationem abolendam miſello ſophiſmate in vna adorationis vocula latente conſtructa.

D.Hiero. agnoſcit SS martyres rogandos, & ad auxilium inuocãdos, ſed nõ adorãdos: quod & Catholici profitentur.

Porrò tam eſt manifeſtum, D.Hiero. aureo illo libello ſanctorum Chriſti martyrum aſtruere inuocationem, licèt mirifica dicam impudentia, an imperitia iſtud inficietur Confeſſionis Auguſtanæ Apologia; vt propterea Theodorus ille Beza poëſeos atque ſaltatoriæ in popina, ſalaciſque amatoriæ in ganea, quàm Theologiæ doctior, D.Hieronymum idololatriæ damnare nihil dubitarit, Reſponſ. ad argu. Brentij de Vbiquitate, fol. 400.

D. Hieronymũ agere de ſanctorum inuocatione agnoſcit Beza contra apologiã Confeſ. Au. quæ pudẽda inſcitia iſtud negare audet.

Beza D. Hiero. damnat idololatriæ.

Illud tamen minimè negamus (inquit) totum illud Hiero. ſcriptum, quo ſanctorum inuocationem, id eſt manifeſtã idololatriam defendit, nos nihil morari. Qua prætoria Bezę tribuni, ſiue Triumviri dudum Gallici ſententia ſatis ſuperque declaratum habemus, quam nõ ſolum ab Orthodoxis Patribus inter ſe ac nobiſcum concorditer, vnóque ore conſentiẽtibus ex diametro diſſentiunt Euangelici, illos communi idololatriæ crimine ob ſanctorum interpellationem, vti & nos accuſantes: ſed à ſuis etiam Syneuangelicis doctioribus quidem illis ac ſanioribus, nouique Euangelij columnis ſanè præclaris. Nam Martinus Bucerus tam conſtans olim Swinglianus, quàm pòſt Lutheranus, Si quis (inquit ad Epiſcopũ Abricenſem) perpenſa illa Dei infinita, in ſanctos indulgentia & facilitate, & ſimul illorum in nos miſeros adhuc conſeruos ſuos & commẽbra charitate, animi ardore huc prorũpat, vt illos ceu præſentes præſens appellet, próque ſe intercedere ad Deũ roget, id licèt in nulla ſcriptura doceatur; ſi ſic tamen fiat, nulli

Confeſsioniſtæ non ſolum à Catholicis, ſed & ab Orthodoxis Patribus diſſentire fatentur primarij Euangelicorũ magiſtri.

Bucerus nõ poteſt dãnare ſanctorum inuocationem: idque probat exẽplo Orthodoxorũ Patrũ veterum.

damnamus. Et poſtea in animis (inquit) ſic comparatis, vbi videmus nihil tribui humanis meritis, ſed omnia veræ miſericordiæ Dei & redemptoris noſtri Ieſu Chriſti, ita quòd diuos,
" vt pro ſe orent, inuocant, licèt id faciant abſque vllo & ſenſu
" & exemplo ſcripturæ, damnare tamen non poſſumus. Atque
" hunc ſolum in modũ videmus Orthodoxis patribus ſancto-
" rum cælitum inuocationem vſurpatam & traditam.

Iohan. Oecolãpadius negat eſſe idololatricũ ſanctos inuocare: quia id exempla PP. Orthodoxorũ docent.

Similiter & Oecolãpadius, Neque orare inficias ierim (inquit annotat. in homiliam D. Chryſoſto. in Iuuentũ & Max.) neque impiorum & idololatrarum eſſe aſſeuerauerim, cum illis (nimirum Chryſoſtomo, Nazanzeno, aliis patribus) implorare patrocinia ſanctorum, & cæt. Sancti in cælis ſua charitate flagrantes non deſinũt pro nobis intercedere. Quid igitur mali, ſi hoc petimus fieri, quod ſcimus Deum velle?

Quid ad hęc Beza nobiliſsimus Hagiomachus?

Sanctorum inuocationẽ probat Oecolampadius ex vniuerſali Eccleſiarum conſenſu.

Sub finem ſuam concluſurus contra Hagiomachos, qui ſanctorum (inquit) inuident gloriæ, concluſurus diſputationem: Quid mali, ait, ſi & commendemus (populo) patrocinia ſanctorum, modò id circumſpectè, opportunè, & modicè fiat pro auditorum qualitate? Id quod hic agit Chryſoſtomus, & Nazanzenus quoque in laudibus Cypriani, & obſeruant hoc fermè omnes Eccleſiæ tam Orientis, quàm Occidentis. Et ſi hæc teſtimonia Buceri & Oecolampadij ſanè locupletiſſima abunde ſufficiant moderatioris ingenij hominibus ad perpetuum Eccleſiarum omnium & Orthodoxorum Patrum tam in Oriente, quàm Occidente conſenſum demonſtrandum: ne quid tamen habeant refractarij, quod conciliandæ paci Eccleſiaſticæ obſtet diutius, en tibi Martini Lutheri de hac controuerſia illuſtris ſententia, quam ſuis diſcipulis vario tempore præſcripſit.

Lutherus negat ſanctorũ inuocationẽ eſſe ſuperſtitioſam & impiam, quod quia Bohemi docent, eos pronunciat hæreticos.

Anno XVIII. ſic ad Georgium Spalatinũ ſcriptum reliquit, Mi Spalatine, inquit, non fuit mens mea vnquam venerationem ſanctotum eſſe ſuperſtitioſam: neque inuocationes pro cauſſis vel corporaliſſimis. Hoc etenim ſapiunt hæretici vicini noſtri Picardi, & Bohemi, & cæt.

Item anno XXII. ad Erffordienſes; Sinite vt diuinorum im-
» plorent nomina, quando ita volunt. Rurſus in reſponſ. ad
» Louanienſes. Non negaui vnquam nos meritis (inquit) &

precibus

precibus ſanctorum, quantumlibet imperfectis iuuari: quod „
ſubdolè mihi inurere conantur miſeri homines. Ipſe ergo „
Lutherus etiam diu poſt ſuam à Catholica Dei Eccleſia ex- „
communicationem non ſolum ſinendam, aut permittendam „
voluit ceu piam & legitimam ſanctorum inuocationem: ſed „
adeò eam tollere noluit, ceu ſuperſtitioſum aut idololatriam, „
vt ſe de hac doctrina impia quaſi falſò ſibi impoſita purgarit, „
immò hæreticos appellat, qui ita cum hæreticis Picardis (in- „
quit) & Bohemis ſapiunt, „

Eant nunc Anonymi iſti Confeſſionis Auguſtanæ patroni, & ſe legitima, immo neceſſaria de cauſſa coactos clamitent, iſtud ſacrilegum ab Eccleſia Dei Catholica ob idololatriam & ſuperſtitioſam ſanctorum inuocationem patrare & defendere ſchiſma: qui non modò patres omnes Orthodoxos, etiã ita nobis ſuffragantibus Bucero atque Oecolampadio, ſibi ſentiunt ex diametro contrarios: ſed ipſum etiam Lutherũ ſuæ Confeſſionis Auguſtanæ authorem.

CAETERVM quia atrocem iſtã idololatriæ blaſphemiã nobis Euangelici ad vnũ omnes ſi non Iudaica cæcitate, ſaltem Turcica impietate obiicere nõ verẽtur; age videamus, obſecro, nũ hęc pia ſanctorũ inuocatio perpetuis exẽplis liquidóq; veterũ Orthodoxorũ omnium patrũ conſenſu ſemper in Catholica Dei Eccleſia & laudata & vſitata diuinis ſcripturis, quod garriunt, ſit aduerſaria, aut ex eiſdẽ firmamẽta habeat nulla? Quod ſanctos vt pro nobis Deũ orẽt inuocamus, volũt aduerſarij illi Euãgelico Chriſti Do. verbo eſſe contrariũ. Si quid petieritis Patrẽ in nomine meo, dabit vobis; vnde diffidẽtię plus habere videatur, quàm pietatis, non eſſe tam illuſtri promiſſo contentũ, aut Chriſto Do. oratori alios adiũgere cõprecatores: quaſi ſolus nõ ſufficiat exorare. In ſolo igitur Chriſti nomine, & per ſolũ Chriſtum volũt, Chriſtianis orandũ, nullis adhibitis ſanctis cõprecatoribus. Atqui dum vel ſanctos oramus vt ꝓ nobis orẽt, nõ niſi in Chriſti nomine Patrẽ oramus, quos vnà nobiſcũ rogamus, vt cõmunem patrẽ cõprecentur, ſolũq; per Chriſtũ petimus, vt exaudiamur; quemadmodum ipſa orationis Eccleſiaſticæ forma ſatis ſuperq; loquitur, quæ ſolenni ritu ſemper his verbis, Per Chriſtum Do. noſtrum, concluditur.

CAP. III.

Non aduerſari ſcripturis ſanctorum inuocationem.

Iohan. 15.

Origo inuocationis ſanctorũ eruitur ex ſcripturis.

 Non

D. Paulus præter Christum alios adhibet cõprecatores.

Non pugnare autem cum Christi Domi. verbis dudum allegatis quòd alios desideramus, siue adhibemus comprecatores, vnus D. Paulus verborum Christi peritissimus, promissique illius Euangelici certissimus suo luculenter docet exemplo, qui Romanos fratres obsecrare non dubitauit per Christũ, vt se orando adiuuẽt siue συναγωνίζεσθαι cũ laborãte atq; pugnante decertent orando pro ipso, vt ab infidelibus Iudæis liberaretur. Romano. 15.

Roman. 15.

Quod si officio mediatoris atque intercessoris Christi Do. non repugnare censuit Paulus diuinæ sententiæ sciẽtissimus, vt homines adhuc mortales, immo peccatores adhiberet sibi apud Deum Patrem pro Christi gloria illustranda Euangelioque propagando comprecatores, quænam fuerit insania sanctos vna cum Christo Do. regnantes negare rogãdos siue obsecrandos, vt nos apud Deum adiuuent siue laborantes, vti Augustinus Cyprianum, siue orantes, pugnantes, & pro vita æterna consequenda decertantes?

1. Cor. 13.

Cùm enim eos nostri charitas, teste Paulo, in cælestem vsq; vitam perdurans, qua erga nos adhuc vasto hoc pelago natantes atque luctantes, multò sancti flagrant, quàm prius, ardentiore, cogat pro nobis vel non orantibus orare, indesinenterq; Deum obsecrare, vt vnà nobiscum plenam beatæ resurrectionis accipiant palmam, non magis dormientium in Do. id est Sanctorum cum Christo viuẽtium inuocatio diuino Christi Do. mediatoris, siue intercessoris singularis repugnat officio, quàm viuorum hic adhuc fratrum Christianorum Paulina obsecratio, vt pro se orent. Quod vbi verus Dei cultor populus Christianus toto concorditer orbe diffusus probè haberet perspectum; nulla ductus aut promissorũ Christi diffidentia, aut impia in eundem iniuria impulsus, alios præter Christum Do. semper sibi adiunxit comprecatores. Nam Apostolorum exemplo sibi diffidens plus aliena nitendum censuit oratione: veritus nequid sibi sua apud iustum iudicem obstarent commerita, quò minus exaudiretur. Siquidem hanc veræ humilitatis Christianæ modestiam plus apud clementiss. Patrem valere norat, quàm temerariam & audacẽ de exorando confidentiam; quæ sibi vni potius, quam multis comprecantibus,

Exemplo Pauli maiores nostri didicere alios ad auxilium rogare comprecatores.

Ex vera Christiana humilitate sibi indignitatis suæ conscia oritur aliorum pro nobis inuocatio.

precantibus, votorum ſpem impetrationemque polliceatur. Indignus qui exaudiar, inquit pius ille, ſed per patronos martyres, ſperat medelam conſequi. Prudent. hymno in D. Laur.

Hac igitur perſuaſione verè Chriſtiana ducti maiores noſtri adeò non exiſtimarunt ſanctos inuocare impium, aut idololatrium, vt non ſolum ipſi ſanctos & verbis & ſcriptis inuocarint; ſed ſuos, immo poſteros omnes (fremat & crepat inuidus Sathan) docuerint inuocare, quemadmodum ex conſenſu Chriſtianæ totius orbis Eccleſiæ liquidiſſimis veterum Patrum Orthodoxorum teſtimoniis dudum adductis ſolis luce meridiana demonſtrauimus clariùs.

Quòd non ſolũ ex traditiõe Patrum, ſed et ex Scripturis ſtatuatur ſanctorum inuocatio.

Porrò ne quis manifeſtiſſimis illis Orthodoxorum Patrum vt primi atque Apoſtolici ſeculi, ita omnium locorum teſtimoniis conuictus oggannire, audeat illos quidèm Catholicis concorditer docuiſſe ſanctos inuocandos, diſertiſque verbis non modò inuocaſſe, ſed ſuos etiam vt inuocarent, colerent, piéque orarent hortatos fuiſſe, verùm ſine ſcripturarum fundamento, citra verbũ Dei: ideóque & D. Hieronymum, & alios omnes illos Patres idololatriæ (quod blaterat væſanus ille Beza) damnãdos atque deſerendos, age lector Chriſtiane, nunc paucis & hanc obturemus rimam, ne quod Euangelicis ſuperſit elabendi effugiũ, aut cæco errori tuendo perfugium.

Sanctos pro nobis orare tam eſt ex Dei verbo manifeſtum, vt negare nullus pudoris ingenui memor auſit, cùm & Onias legatur orare aſſiduè pro fratribus, & Angelus apud Zachariam pro Iudæis oret, vt Dom. tandem miſereatur Ieruſalem & ciuitatum Iuda, quibus iratus eſt. Vnde & Confeſſionis Auguſt. Apologia iſtud inficiari cùm non poſſet, negat ſanctos tamen inuocandos: qua in re omnis huius controuerſiæ cardo verſatur. 2. Machab. 15. Zachar. 1.

Teſtatur Chriſtus Do. rerum cæleſtium ſolus verè cõſcius Moyſen Iudæos apud Deum accuſare, quod deſtinatum ipſis iuxta illius prophetias, Meſſiam non ſuſciperent, neque fidem haberent, aut morem gererent. Si perfidos accuſat, cur nõ pro fidelibus orat? immo cur non fideles illum ſibi non modò polliceantur patronum, quem impiis, Chriſto teſte, norunt aduerſarium; ſed orent etiam, vt à Deo illuſtriorem ipſis impetret Iohan. 5. Deutero. 18.

 fidem,

fidem, liberaliusque fidei verè Euangelicæ atque Christianæ auctarium? An non mirè solicitum habeat S. Moysen populi sui Iudaici cura, pro quo viuus & anathema fieri, immo de libro viuentium voluit deleri: & mortuus apud Dominum Israelis sui caussam agit?

Exod. 32.

Sanctos in cælo agentes cognoscere quid viui agamus.

Quo pacto enim ignoret diuinus ille propheta sui populi Iudaici statum, qui mortuus apud cælestem patrem incredulos accusat? Siquidem aliis Sanctis, siue hominibus, siue angelis, diuinus Moyses in cælo non est habendus inferior, aut infelicior: quos sacræ literæ nostratium rerum docent esse conscios. Quod hoc loco de SS. Angelis si demonstratum fuerit, etiam de sanctis hominibus cum Christo regnantibus ostensum erit, quos post hanc vitam Angelis æquales fore promiserit Christus fallere nescius.

Apocal. 8. Act. 10. Tobiæ 12.

Iam cùm Angelos Deo preces nostras offerre doceant diuinæ literæ, Apoc. Act. Tob. Ecquid ipsos rerum nostrarum ignorare fuerit consentaneum? Si preces nostras Deo fusas cognoscunt, easque cum D. Tobiæ, aut Cornelij Centurionis angelo fideliter iuxtà ac sedulò Deo præsentant, an exteriora opera, quæ nostros in oculos aures úe incurrunt, credendi sunt ignorare?

Lucæ 14.

Ex Firmiliano, cur sancti gaudeant de peccatoris conuersione.

Ad hæc sancti Angeli de impiorum gaudent conuersione, susceptáque lætantur pœnitentia, si Christus verum docet, Lucæ 14. An igitur eos rerum nostratium in specie amplius quis audeat facere ignaros? Quod vtique non diceretur de illis, inquit Firmilianus Episcopus Epistola ad Diuum Cyprianum, nisi ipsi quoque essent nobis adunati, qui nostra adunatione lætantur: sicut econtrario vtique contristantur, quando vident diuersas quorundam mentes & scissas voluntates, quasi non tantum vnum & eundem Dominum simul inuocent. Qui voluntates nostras vident, alia nostratia non vident? Sed quidnam isto dicatur stolidius? aut insulsius? Quid enim vera peccatoris conuersione, quæ tota imò in corde sita peragitur, abstrusius, quid latentius, quid occultius?

Si hæc igitur animo nostro reconditissima, nimirum preces

ces Deo fusæ ac pœnitentiæ propositum, læta concordia, tristisque fratrum discordia sanctis Dei Angelis sunt nota, an non absurdissimum fuerit asserere sanctis Dei hominibus cum Christo regnantibus, & angelorum æqualitate donatis ignota?

Sed si forent ignota, non accusaret apud Deum pius Moyses suos Iudæos perfidiæ aut incredulitatis, quòd missum iuxta diuinas suas prophetias, & prophetarum aliorum omnium oracula Messiam Iesum Nazarenum congrua pietate atque religiosa fide non suscipiunt.

An igitur pietati congruentius eum ad accusandum putare promptiorem atque paratiorem, quàm ad patrocinandum? Certè hoc impium fuerit de homine & amico Dei vel suspicari. Cur igitur impium censeas, si Moysen, si Abraham, Isaac, & Iacob pij Iudæi diuinis freti promissis petant vt Deum sibi Patrem reddant placidum, propitium atque benignum?

An non hanc doctrinam ipse Patriarcha Iacob suis præscripsit filiis moribundus? Inuocabitur nomen meum, inquit, super eos, nomináque Patrum meorum, Abraham & Isaac. Nam hoc in oraculo diuino tantum considerare quandam politicam dignitatem, & quandam veluti adoptionis laicæ tesseram, nimirum, vt censeantur nominibus suorum maiorum, dicanturq; Abrahæ filij, tribus, & nepotes, ecquid obsecro habet eximium? quidnam prophetico spiritu dignum? An non & prophano Esau idem cum filiis Ioseph est commune? Cur ergo istam benedictionem propheticam loco singularis priuilegij voluit suis nepotibus pius Iacob imprecari? An non ad ipsos etiam ex origine ac stemmate pertinere putanda communis appellatio & nomenclatura, qui ex clarissimo Iudaici stemmatis columine fuêre prognati? Iudaicæ igitur videatur cæcitatis, singulare hoc priuilegium, quod nepotibus Effraem & Manasse prophana Arseneth Puthipharis Eunuchi regij filia prognatis ex pio auorum suorum apud Deum patrocinio est expectandum, in vanam côuertere, immo deprauare, nomenclaturam.

Genes. 48. Locum illũ, Inuocabitur nomen meum super eos, plus habere quàm meram nomenclaturam aut clientelæ appellationem.

Et

Et verò ſingularem quandam diuini auxilij ac veluti cæleſtis tutelæ promiſſionem ſiue imprecationem his diuinis in verbis Patriarchæ, immò Prophetæ Iacob contineri manifeſtius liqueſcet, ſi totus locus ſuis cum circunſtantiis expendatur; quàm vt pius lector Iudaica non obſtinatus perfidia, aut Turcica non cæcatus inuidia ambigat.

Initio enim Dei opt. max. auxilium ſuis nepotibus implorat diuinus Patriarcha: deinde & Angeli ſui tutelaris meminit, qui me (inquiens) eruit de cunctis malis, cuius præſidium, ducatum & tutelam multò fideliſſimam iuxta & accuratiſſi. ipſis imprecatur. Deniq; ne quid ſuis nepotibus, qui hac parte, quòd materno ſtemmate eſſent aut Pagani, aut idololatræ, aliis videbantur inferiores, inuidiſſe aut omiſiſſe cenſeatur, quod ad diuinum ipſis perpetuò conſeruandum atque tuendum patrocinium facere queat. Tertio loco etiam auorum ſanctiſſimorum Dei hominum pollicetur ſubſidium, quòd inuocati ſuis iſtis nepotibus præſentiſſimi aderunt patroni, tutores & auxiliatores.

Eſai.4.
Inuocari nomē eſt Hebręis pręſidij ac clientelæ tutelǽq; formula.

Simile pręſidium veriſſimamq; tutelam, & D. Eſaias cap. 4. ſimili prorſus expreſſit phraſi. Inuocetur tantū nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum: hoc eſt, tui nominis tutela, cliētela, & appellatione aduerſus publicam iniuriam defendamur, ac tuto deliteſcamus in Ieroſolymorum excidio, ne vis vlla nobis fiat, quod principali tutela, tuáque clientela cenſemur, in quá nos voluiſti aſſciſcere. Hoc inuocationis patrocinium, certumque ſuffragium apud Moyſen planius atque euidētius adeò elucet, vt vbi præſcripta Sacerdotibus diuinæ imprecationis formula Dei ore dictata ſic legitur: Inuocabunt nomen meum (inquit Nu. cap. 6.) ſuper filios Iſrael.

An non ſtolidum planè fuerit hoc loco inuocationē interpretari nominis appellationem & nomenclaturam? Certè phraſim hanc habere diuini beneficij imprecationem & efficaciam mox D. Moyſes Dei ore expoſuit: Et ego benedicam eis, ait, vnde perſpicuum fiat inuocationē diuini nominis non eſſe nomenclaturæ aut adoptionis teſſeram: ſed diuini auxilij atque patrocinij tutelęque imprecationem.

Hac ex fide, certáque ſuorum apud Deum opt. max. Patriarcha-

triarcharum pro ipsis intercedentium fiducia persæpe leguntur pij viri Deum orasse, vt in ipsorum gratiam populo Iudaico bellis attrito, calamitatibus variis eisque grauiss. fracto, hostilibus ærumnis, periculisque tantum non absumpto succurrere dignetur. Ne auferas misericordiam tuam à nobis, orat S. ille Azarias in medio æstuantis fornacis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israhel sanctũ tuum.

> Ex fiducia intercedentium pro se auorum suorum Iudæi pij Deum orant, vt in gratiam ipsorum exaudiat & liberet.

> Daniel. 3.

Sic & Moyses Deo Iudęis iratissimo ceu placationis hostiá, gratiæque illicium sanctorum patriarcharum obiicit memoriam. Quiescat ira tua (inquit Exod. 32.) & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum. Rursus 40. diebus orans supplex ne deleret Iudæos, vti fuerat comminatus: Recordare seruorum tuorum (inquit Deutero. 9.) Abraham, Isaac & Iacob, ne aspicias duritiam populi huius, & impietatem atque peccatum.

> Exod. 32.

> Deutero. 9.

Quid quod ipse Deus disertè profitetur sese Ierosolymitis salutem allaturum contra Sennacherib Regem impium propter Dauid seruum suum. Quam Dei promissionem aureum orationis flumen fundens Iohan. Chrysostomus explanans, ô ineffabilem Dei Clementiam! exclamat homil. 2. in Psal. 50. » Dauid mortuus est, & Ezechiæ viuo patrocinatur! Et paulò » inferius: Protegam ciuitatem hanc propter me & propter » Dauid seruum meum: Dauid mortuus est, & merita eius vi- » gent. »

> Esai. 39.

Certè ex hac vera meritorum fide & priscos Iudæos (nam istos degeneres vt à moribus, ita & à pietate, fide, auitáque doctrina alienissimos nihil moramur) inuocasse Abrahamum, & vt apud Do. pro ipsis intercederet orasse, vnus D. Esaias haud obscurè docet, cùm diuino suo oraculo prædicit impiam Iudaicæ gentis posteritatem, quam Moyses prophetarat alũnos & sobolem hominum peccatorum pro patribus surrecturam, vt augerent furorem Dei contra Israhel, eò per varia peccatorum omnis generis offendicula prolapsuram, vt pius Abraham patriarcha suos ignorare nepotes, id est, nullo succurrere apud Do. patrocinio videretur. Nam in afflictionibus suis atq; calamitatibus tam publicis, quàm priuatis Iudæos prisco de more solere confidenter confugere, ille diues Epulo Euange-

> Iudæos pios illos priscos inuocasse sanctos auos.

> Esaiæ. 63.

> Num. 32.

> Epulo ille Euangelicus suo exẽplo testatur Iudæos solere in clade aliqua ad Abrahæ patrocinium refugere.

licus perſpicuè ſatis ſuo teſtatum facit exemplo, ipſi ſupplicans vt miſereatur nepotis miſerrimi, diris flammæ tormentis aduſtulati, atque ſiti ardentiſſima diſcruciati.

Lucæ. 16.

Quia Chriſtus Epulonē inducit Abrahæ ſupplicantem, non poteſt ſanctorū inuocatio & ſupplicatio eſſe impia.

Neque verò Chriſtus Dominus tam fuiſſe Iudaicę, opinor, Religionis imperitus cuiquam, niſi fortè ſemi-Iudæo, videbitur, vt hunc epulonem docendi cauſſa induceret ſuo Patriarchæ à morte ſupplicantem contra ſolemnē Iudaici populi morē, contra religionis inſtituta, contra cæleſtē deniq; veritatem.

Iſtud enim Chriſti Domini, qui vnus ipſiſſima eſt Veritas, exemplū nō contra decorum modò fuerit; ſed cum manifeſta etiam impietate coniunctum, ſi diuorum inuocatio eſſet diuino mandato vetita & damnata, quod aduerſarij noſtri temerè nouáque blaſphemia priſcos hæreticos vincentes effutiunt. Quam blaſphemiam, quia loco Eſaiæ dudum commemorato conantur ſtatuere, nos veritatis illuſtrandæ cauſſa germanum Prophetæ ſenſum vindicare ſtudebimus. Deprecantur Deū igitur illos 3. cap. Iudæi, teſte D. Hieronymo, qui aut iuſti erant, aut peccatores; ex quorum perſona D. Eſaias illam adhibet orationem. Qui tanta beneficia, inquiunt, maioribus noſtris olim exhibuiſti Domine Deus, attende & nunc de cælo, ne zelum tuum ſuper nos contineas diutius. Tu enim es Pater noſter, qui creator es omnium. Abraham non cognouit nos, & Iſrahel ignorauit nos; non quaſi rerū noſtrarum ſint inſcij aut ignari: ſed ignorant nos Patriarchæ noſtri, quia ſolita denegant apud maieſtatem tuam patrocinia, quibus tuam exorare ſolent nobis clementiam. Tanta enim Abrahā Patriarcha noſter apud te valet gratia, vt etiam num viuus ſuis precibus Loth patruelem Sodomitico eripuerit incendio. Siquidem Abrahæ recordatus Dominus liberauit Loth, vti ait Moyſes, vbi Chryſoſtomus diſertè annotat, iuſtum Loth propter orationem Abrahæ eſſe ſeruatum.

Eſai. 63.

Abraham neſcit nos, An faciat contra ſanctorum inuocationem, & non potius pro ea?

Paraphraſis loci prophetici.

In hanc ſententiam verba D. Eſaiæ accipienda eſſe, D. Hieronym. non obſcuris verbis in Commentariis expreſſit. Neſcit nos Abraham, & ignorat nos Iſrael, inquit, quia te offendimus, nec cognoſcunt filios, quos à Deo ſuo intelligunt non amari. Conſcij igitur diuini in illos aut fauoris, aut indignationis, tales ſeſe filiis Iudæis exhibere intelligendi ſunt Patriarchæ,

triarchæ,quales Deo reputantur. ,,

Sed Origenem illum Adamantiū audiamus,quidnam hac de re & ipse senserit. Illud Euangelij expositurus;Ne ceperitis dicere,Patrem habemus Abraham, subtexunt; Apparet sanctis (ait Tomo. 18. in Iohan.) qui ex hac vita migrarunt,curam esse de populo,quemadmodum in Machabæorum gestis ,, scriptum est,postquam plurimos annos ab obitu Ieremiæ, hic ,, est Ieremias Dei Propheta,qui multum orat pro populo. Vide ergo num exponere possimus (historiam de Regulo) quod Abraham Regulus quispiam existens ęgrotante filio,eoque moriturо(populo Iudaico) Dominum rogat pro filij laborantis sanatione,profectusque ad ipsum obsecrat,vt descendat & curet filium suum iam moriturum.

Quare cum Diuus Esaias Propheta hic ex Iudæorum persona conqueratur,de solito Patriarcharum apud Deum patrocinio non præstito,certoque auxilio negato,quod suis sibi interpedierūt peccatis,veterem videtur astruere prisci Iudaici populi morem,quo rebus afflictis atq; deploratis, vti dudum exemplo Azariæ & Moysis docuimus, ad auita suorū Patriarcharum confugere solent patrocinia, disertis inuocationibus postulata: quem morem ętate Christi Iudęis fuisse solemnem diues ille epulo suo satis contestatum reddit exemplo. Certè vt vt Iudæi prisci hac de re senserint,omni tamen luce manifestius est,Christianos omnium vbique & locorum & temporum piam hanc sanctorum inuocationem & docuisse & suo vsu frequentasse. Atqui hanc Christianæ Ecclesiæ consuetudinem, inquiat aliquis, perspicuè quidem video veterum Patrum testimoniis dudum confirmatam; sed exemplum Scripturæ diuinæ postulo,quo eadem statuatur firmius. Exēplum Scripturarum desiderare non potest,qui dudum commemoratas tenet scripturas,eisq;,vti par est,fidem habet: quæ tā disertis verbis inuocandi sanctos præscribūt formulam, liquidò etiā hebraismo,phrasiq; Hebraica ex D. Esaia cōmunitā. Sed ne quid nutabundo lectori supersit scrupuli,illa D. Iacob Patriarchæ vox, Angelus qui eruit me de omnibus malis,benedicat pueris istis; an non manifestam habet S. Angeli aduocationem, siue interpellationem,siue inuocationem?

Exemplo Scripturæ docetur sanctorū inuocatio.

Certè quando cum Dauide dicimus, Deus misereatur nostri & benedicat nobis; liquidò Deum inuocauimus, vt benedicat, licet loquendi formula magis sonet optantis, aut imprecantis vocem. Similiter & illud D. Augustini: Adiuuet nos Cyprianus hac carnis mortalitate laborátes, certam habet inuocandi formulam, licèt optandi voce sit expressa.

D. Augus. vii. lib. contra Donat.

Sic igitur vbi Iacob paruulis nepotibus optat Angeli sui tutelaris benedictionem, dicendo: Angelus qui me eruit, benedicat pueris istis, diserta oratione sanctum Dei Angelum inuocat, vt pueris benedicat, siue omni beneficiorum cumulo prosequatur, omnibusque tutelæ atque custodiæ modis defendat & tueatur.

Tutelaris angeli cultus & inuocatio vnde orta.

Quo ex ritu Iudæis illis priscis solemni, si quis dixerit morem Christianis hominibus iam pridem vsitatum de sui angeli custodis inuocatione, nihil profectò absurdi dixerit. Testatur D. Gregor. Nissenus vita Moysis, occultissimâ fuisse Christianis traditionem de angelo cuique Christianorum ad custodiam deputato. D. Ambros. hos custodes & tutelares disertè inuocandos monet suum populum Mediolan. quemadmodum totus orthodoxorum Patrum senatus longo dudum catalogo recitatus vno ore concordique sententia piam sanctorum docet inuocationem. Quorum vestigiis & nos firmi immotique insistentes, sanctos Dei amicos & seruos, immo filios agnum illum immaculatum sequentes, rebusque nostris præsentes atque nobis conuersantes religiosè ad auxilium & præsidium inuocantes colimus atq; veneramur: non eos quidem vt Deos adorantes, sed vt Dei serui vna nobiscum Deum & nostrum & suum orent nobisque exorent propitiũ, reddantq; placidum atque benignum.

Vide superius. Angeli custodiunt vestris orationibus aduocati. Ambros. Epist. 32.

Non igitur Christiani Catholici sumus idololatræ, quòd sanctos colimus, veneramur, ad auxilium, & comprecandum inuocamus: quemadmodum præclari isti Confessionistarum patroni Iudæos, Machumetum, Iulianum cum aliis Prophyrio & Libanio apostatis imitati nobis exprobrant: sed Deum vnum ritè colentes, venerandos eius etiam reuerēter colimus sanctos, Dei amicos & filios. An verò ipsi Protestátes hanc idololatriæ notam à Caluino lib. contra VVestphalum obiectam

Caluinus admonit. vltima.

effugiant,

effugiant,ipſi viderint. Accuſat enim Breměſes Lutheranos, quod interpretationis ſuæ falſitate non minus fædarunt Lutheri nomen (quod ipſum docent verum Eliam) quàm Aegyptij Ieremiæ corpus, ſepulchrum eius adorando.

QVARE nunc & illas ſcripturas expendamus, quas Confeſſioniſtæ Catholicis opponũt,quaſi piæ SS. Inuocationi contrarias: quibus vero germanoque redditis ſenſui, oſtendemus neq; obiectas Ambroſij,Chryſo.aut Auguſt.ſententias,Catholicæ aduerſari doctrinæ. Horum enim ſanctiſſ. Patrum verbis aliò,quàm illi ſenſerunt, detortis;quos diſertè nobis ſuffragari dudum eſt demonſtratum,ſuam cauſſam voluerunt in ſpeciem conſtabilere atque conſtituere, prorſus peregrinum dogma Chriſtianorum Catholicorum auribus inuehentes.

CAP. IIII. Argumenta ex Scripturis prolata ſoluuntur.

Quod igitur ad ſolius Dei inuocationem ſtatuendam ex Deutero. 6. Matth. 4. Pſal. 5. Eſa. 63. adferunt, Catholica reuerenter ſuſcipit Eccleſia,vnum Deum , vnum Dominum, qui vnus nobis Pater eſt,ſeſe colere profeſſa.

Sed quemadmodum, teſte Paulo, ſeruos oportet dominis ſuis obedire,nõ ſoli Deo Domino; ita & Patres carnales oportet reuereri,colere,obſequi,morem gerere. Verùm ſicuti hæc D.Pauli doctrina non facit idololatras , quod plures inducit Patres aut dominos: ita nec idololatriam docet Catholica Chriſti Eccleſia,dum ſanctos Dei amicos , eiuſque ſocietate beatos colit,veneratur,inuocat,aut etiam exemplo Dauidis & Abrahæ homines adorat. Non enim diuinum illis exhibet cultum , ſed longè inferiorem offert honorem hominibus dignum: Superiora ergo ſcripturarum teſtimonia ſi germano illo ſuo ſenſu intelligantur, quemadmodum alia Scripturarum loca nos accipere cogunt (niſi Natan Prophetam, quòd Dauidem adorauit;& Abraham , quòd populum terræ adorauit; & Paulum,quòd ſeruos dominis ſuis ſeruire iubet, facere impiè audiamus idololatras) nihil vetant,quin & homines ſuo quodam honore & appellemus & colamus patres & dominos,ſed longè alia ſignificatione.

Vnus Pater & Dominus,tamẽ plures dominos & patres docet Paulus.

Eccleſia ſanctos colit & adorat, ſed vti Abrahã homines adorauit & Nathan Dauidem.

3. Reg. 1. Geneſ. 23.

Sic & ſcriptura ipſa quoſdam improprij ſenſus inducit Chriſti ore deos,& Pauli ore dominos. Vnum ergo Deum verum, vnum propriè omnium Dominum , vnum vniuerſorum Pa- Ioan. 10.

trem colentes, venerantes, inuocantes, & diuino latriæ cultu adorantes, non ſumus idololatriæ rei, ſi ſuo quoq; honore homines colamus, inuocemus, & ad Scripturarum exépla quodam ſenſu adoremus: modò pia mens adſit, quæ ordinem rebus diuinitus inditum ſua non violet temeritate, aut ſacrilega non prophanet ſuperſtitione, quæ hic ſuum propriè habet locum; quãdo quod Dei eſt, inferioris ordinis creaturæ ſiue Angelo, ſiue homini ſacrilegè tribuitur. Sicuti in contrario hera eſt pietas, ſuum cuique non religionis, quæ Dei opt. max. propria eſt, ſed honoris legitimi cultum impendere.

Superſtitio vbi locum habeat.

Quem cultum creaturis exhibitũ rectè à maioribus, teſte D. Auguſt. de ci. Dei lib. 10. dulias, id eſt, piæ ſeruitutis, atque officij humani dictum, cùm non vetent loca ab aduerſariis ex epiſt. Ro. 10. & Apocal. 19. obiecta, nihil obſtant, quo minùs & ſanctos Dei homines vel angelos inuocemus, ſuoque, vti diximus, ſenſu quodam, licèt impropriè adoremus. Quod enim D. Paulus Ro. 10. ſcribit, quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? veriſſimum eſt, nullum poſſe inuocari tanquam Deum, in quem non antea credideris: agit enim de fide per Apoſtolos prius annuncianda hominibus, quæ in Deum eſt. Proinde mirè inſulſum eſt, quod Confeſſioniſtæ hoc ex loco ita colligunt: Iam ſi prohibitum eſt, inquiunt, credere in ſanctos homines mortuos, certè non licebit eos inuocare, quod verũ eſſe concedimus, ſi Catholicæ orthodoxorum Patrũ doctrinæ cõformiter accipiatur atque concorditer: nimirum de diuina inuocatione, ſiue latriç adoratione. Catholici enim nullum hoc ſenſu adoramus martyrem, vti ait D. Hiero. & Cyrillus; neque vllum ſanctorum ad Sacrificium illud diuinum inuocamus martyrem, teſte Auguſtino de Ciuit. Dei lib. 10.

Cultu duliæ homines rectè ac verè coli & in veneratione haberi.

Roman. 10.

Ad quem ſenſum ſi & Angeli prohibitio Apoc. cap. 19. accipiatur; quid nam pio ſanctorum obſecro officiat cultui? Prohibet quidem Iohannem angelus, ne ipſum prouolutus adoret: ſed diuino cultu. Quid verò, ſi hac angeli ſpecie Iohannes Chriſtum exiſtimarit ſibi apparuiſſe, quũ ſeſe ille prædicaret primum eſſe & nouiſſimum? Vnde in vet. Comment. legitur, Iohannem ſeſe illum maiorẽ exiſtimaſſe. Certè D. Ambroſius nihil dubitauit Apoſtolum hunc Theologum dicere hoc

Apocal. 19. Vide ne feceris, Deum adora.

D. Remigius. D. Ambroſ. intelligit diuinũ cultum angelo à D. Iohãne inſcio oblatum.

hoc inscium fecisse. Cùm enim Christi diuinitatem propugnãs docuisset ei flecti omne genu,quod fieri ab omni creatura non potest,nisi Deo, denique Iohannes Apostolus (inquit Com.ad Rom. cap. 9.) Inscius cum angelum vellet adorare, audit ab eo,Ne feceris:conseruus enim tuus sum,Deũ adora.

IAM vbi Confessionistas nihil ex Scripturis solidum attulisse demonstrauimus, quod piam sanctisq; Dei filiis dignam labefactet inuocationem, veterum quoque Patrum testimonia Catholicæ non obsistere doctrinæ,porrò est ostendẽdum: huc facere volunt D. Ambrosij locum in Epist.ad Rom. quo reprehendit,qui dicebant per iustos posse iri ad Deum,sicuti per comitis peruenitur ad Regem,vt quidem à delectis Confessionistarum Apologeticis est recitatum.

CAP. V. Ad loca patrũ responsio cõtra sanctorum inuocationẽ protracta obtorto, quod dicitur, collo.

RESPONSIO LINDANI.

Præclarè admodum à D. Hilario dictum legimus,cùm stultè mentiantur hæretici,stultius tamen in defensione sui mendacij sapiũt;quod si vnquam in vllo hominum genere locum habuit,certè in istos Anonymos Confessionis August. Patronos dicitur verissimè.

D. Hilarius de Trinit.lib.7.

Quàm enim temerè ac prorsus stultè propter piam sanctorum inuocationem à Catholica dissenserint, adeoq; discesserint Ecclesia,dudum satis opinor est demonstratum: nunc in reddenda sui sacrilegi schismatis ratione,siue, vt cum D. Hilario loquamur,sui mendacij defensione quanto sapiant stultius,paucis venit exponendum.

Simulant sese religiosi isti viri grauissimis sanctissimorum PP. sententiis coactos à nobis dissentire, atque à Catholica adeò Christi Ecclesia discedere, quòd sanctos colimus, quòd per eos ad Deum accedimus,quòd ipsos in auxiliũ inuocamus atq; imploramus:cũ istud Patrũ doctrinæ,vti asserunt, ex diametro aduersetur,quẽadmodum locis aliquot huc recitatis ostendere conantur. Verum quàm fide mala,conscientia planè impia,& sacrilego fallendi studio hac in re versati sint, Lector candidè,delecti isti Confessionistarum Patroni,paucis accipe:locũ enim ex D.Ambr. recitatũ,si attentus totũ legas, videbis

Falsarij demonstrantur Anonymi Confessionistarum Patroni, qui verba omittunt, & vocem *istos* deprauant in *iustos*.

videbis non modo verbis, quæ calumniæ ipsos redarguant, omissis mutilatum: sed liquida verbi etiam vnius (in quo tota est argumenti vis) deprauatione corruptum, vitio falsatum, dataque opera adulteratum. Qui D. Ambrosij locus si totus recitetur, & suo germano sensu accipiatur, adeò nihil contra sanctorum facit inuocationem, vt ne loquatur quidē de Christianis, nedum de pia ipsis solis nota sanctorum inuocatione. Nam D. Pauli verba Epist. ad Rom. cap. 1. Euanuerunt in cogitationibus suis, dicentes se sapientes, stulti facti sunt, expositurus ea commemorat, quæ nobis obiiciuntur ad crimen falsò impositum conuincendum: quod dum arguti illi veritatis odio cæci moliuntur, sese falsi crimine astringunt.

Calumnia manifestissima nos oppugnant anonymi Cōfessionistarum Apologetici.

Hæc D. Pauli verba, vbi docuisset Ambrosius in Philosophorum & Paganorum accusationem D. Paulo dicta, qui neglecto, inquit, Deo licèt sibi cognito, seruierunt creaturæ potiùs, quàm creatori; stolidam illorum conuellit atque refutat excusatiunculam, qua suam passim tuebantur superstitiosam creaturarum culturam, quemadmodū disertis verbis est apud D. Ambrosium: ait enim, Nebula erroris texit cor illorum, quia cùm creatorem ex iis, quę fecit pulchra, amplius honorificare debuerint, obtusi sunt relicto Deo, hæc sola dicentes sibi sufficere ad culturam, quę videntur.

D. Ambros. disertissime agit contra Paganos & Philosophos, qui relicto Deo solas colebant creaturas.

Iam illud Pauli, Dicentes se sapientes esse, expositurus continenter subtexuit verba, quæ aduersarij indignissimis modis deformata contra Catholicam facere asserunt doctrinā; quæ nos recitabimus integra, vti apud D. Ambrosium extant scripta. Solent enim pudorem passi neglecti Dei, misera vti excusatione, dicentes, & cæt.

Integra D. Ambrosij verba vel inspecta ostendunt improbā aduersariorum calumniam.

Hæc verba qui audit integra, an ei in mētem venire queat de damnata per D. Ambrosium sanctorum inuocatione? Quis enim tam sit effrons, qui Catholicos accuset neglecti Dei propter sanctorum inuocationem, quum eos ad facilius exorandum Deum adhibeamus comprecatores? quod dum agimus, non Deum cum Paganis negligimus, non Deum cum Philosophis relinquimus: sed religiosè colimus, & maiori animi reuerentia, veráque humilitate suæ sibi indignitatis probè conscia ipsum accedimus. Omiserunt ergo aduersarij fraude improba

proba doloque malitioso ex D. Ambrosij verbis, quod candido Lectori germanum exposuisset sensum; nimirũ ea nihil contra Christianos facere, nedum à D. Ambrosio in ipsos dicta esse, sed contra Paganos. Ná paulò inferius meminit Apis Aegyptij, & Sacrorum Coracinorum, quæ suis faciebant vola tilibus Pagani. Dicunt ergo religiosi isti viri aliquid ex D. Ambrosio, sed non omnia huc facientia: quod non ignorant esse falsi speciem Sophistis familiarem.

Decurtant verba aduersarij, quæ Ge[illegible] apertiant sensum.

Ambros. diserte loquitur de Sacris Coracinis Apisque Aegyptij.

Sed hæc Confessionistarum fraus perquam improba ludus videbitur, Lector candide, si quidnam in ipsis etiá verbis D. Ambrosij ita mutilatè à se recitatis designarint flagitij, consideres accuratiùs. Volēs stultam paganorũ & philosophorum demonstrare orationem D. Ambrosius, qua in suæ idololatriæ vtebantur defensionem, Per iustos (inquiunt, vti recitant religiosi isti Cõfessionistarum Patroni) posse ire ad Deum, sicut per Comites peruenitur ad Regem.

Quantum pietatis ac religiosæ in Deum mentis insit istis anonymis Confessionistarum Patronis, vnus hic D. Ambrosij locus abundè testatum faciat, tam fædo, eóque manifestissimo sacrilegio deprauatus, & malitioso imperitos incautosq; fallendi studio adulteratus. Tota enim argumenti vis, quo aduersus Catholicos hac in controuersia nituntur, est vno in elemento sita, quod mirificè quidem, sed plagiorũ more, ne suis à dominis agnoscatur, inseruêre. Ná ex voce ISTOS, religiosi isti viri facere audent IVSTOS, vt pedi cothurnus quadraret aptiùs. O religiosos viros, doctores Theologos, & sanctos iustique amãtes Consiliarios Ro. Imperij ordinũ atq; statuum politicos! Siccine bona fide causam Ro. Imperij agitis? hóccine est fidos agere patronos in re momenti tam incomparabilis, vbi de vero agitur Dei cultu, in quo salutis æternæ cardo singulariter versatur?

Vt pedi cothurnus quadraret, aptius vocem *istos* studio deprauant in *iustos*.

Est quidem viris omnibus probis omne fugiendum mendacium. quanto igitur odio digni, qui in doctrina religionis verè pernitiosis mendaciis niti non verentur: idq; verbis contra mentem authoris, contra suam adeò ipsorum consciẽtiam data opera deprauatis, de industria mutilatis, malitioso deniq; studio adulteratis? Rectè namque D. Augustinus primum &

capitale,longéque fugiẽdum esse mendaciũ admonuit,quod sit in doctrina religionis. Isti verò pij Confessionistarũ Patroni hoc adeò non fugiunt,vt data opera captare,sectariq́; videantur. Aiunt D. Ambrosium reprehẽdere, quòd quidam misera vsi excusatione dicebant, per iustos posse ire ad Deum. Magni sanè istud fuerit momenti ad nouam suam stabiliendá doctrinam,quod ex D. Ambr. contra orthodoxam adferunt Ecclesiam: magni,inquam,fuerit istud momenti,si veritate niteretur argumentum. Si enim per iustos non licet ire ad Deum, neque per Sanctos.

D. Ambr. loco recitato non agere cõtra Christianos, sed Paganos.

Sed sacrilegam istam aduersariorum fraudem D. Ambros. omni luce clariùs refellit,qui nó per IVSTOS, sed per ISTOS negat ad Deũ accedendum. Nunc quidnam vox ISTOS Ambrosio demonstret, disertis eloquitur verbis. Nam ante hanc ætiologiam ab Anonymis mutilatè recitatam, docet se de Pa
„ ganis & gentilibus idololatris agere: qui relicto, inquit, Deo,
„ quem tamen cognorunt,& vnum esse principium,à quo om-
„ nia initium sortita sunt,agnouerunt; hæc sola dicebant sibi suf
„ ficere ad culturã quę videntur: dicentes enim se esse sapiẽtes,
„ stulti facti sunt. Sapientes enim se arbitrantur, quia rationem
„ physicam inuestigasse se putant, scrutantes cursus syderũ, &
„ qualitates elementorum,Dominum autem horum spernen-
„ tes,ideo stulti facti sunt: cùm si hæc laudanda sint, quãtò ma-
„ gis creator illorum? Solent tamen pudorem passi neglecti Dei
„ misera vti excusatione,dicentes; per istos posse ire ad Deum.
„ Per ISTOS,inquit Ambrosius,nõ per IVSTOS: per istos(in-
„ quam) syderum cursus&qualitates elementorum: ex quibus
cum effrontibus anonymis Confessionistarũ Apologeticis facere iustos,quid fiat impudentius, aut absurdius,immo quid prodigiosius?

Stultitiã suam & fallaciã produnt anonymi Cõfessionistarũ patroni, dũ se verbis Amb. iugulant.

Anonymi recitant, quæ ipsos calumnia conuincant.

Sed hac cæca errandi,immo fallendi ac seducendi libidine sponte sua captos fuisse Anonymos,inde magis eluceat,quòd illa etiam D. Ambrosij verba imprudentes recitarunt, quæ vt Catholicos ab omni purgant calumnia,ita ipsos eiusdẽ in primis cõuincant reos. Nam inter alia ab ipsis recitata,D. Ambrosius,contra illos sese agere profitetur,qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ. An istud crimen nobis vlla fronte diutius

diutius obiectare audeāt: cùm tam liquido rerum discrimine hæc calumnia hactenus, vti & ab Ethnicis, Iudęis & Apostatis, ita nunc & ab Euangelicis immeritò exprobrata, sit dissipata? Vnde nec in nos vere dicitur, quod D. Ambrosij verbis continenter attexitur: Et relicto Domino, conseruos adorant. Nos enim sanctos eius martyres inuocantes, legitiméque colētes, neque Deum relinquimus, neq; diuino cultu adoramus; quod Pagani faciunt, creaturis diuinum tribuentes honorem.

Sic nec illud Catholicę aduersatur doctrinæ, quod eodē loco D. Ambr. habet: Ad Deū, quem vtique nihil latet, promerendum, suffragatore nō est opus; sed mente deuota. loquitur enim de tali suffragatore, qui aut ignota Deo suggerat, vti Comites, ait, Cæsari; aut sua voluntate quasi tribunitia imperet, quemadmodū populus Ro. olim suis suffragiis & intercessione tribunitia magistratui consulibusq; dominabatur. Suffragij enim vox Romanis olim nō solū erat populi volūtas, sed & sententiæ iudiciū. Sed hæc hactenus. Transeo ad D. Chrysost. testimonia, cōtra piā sanctorū inuocationē, obtorto etiā collo protracta: quæ si rectè ac verè intelligantur, non magis illi, quàm D. Ambrosius aduersari deprehendentur.

Ipse enim, vti ostendimus, in Liturgia & alibi, sanctos orat, piéque inuocat, & Augustos piscatorem Petrum atq; Paulū legitimè orando colere docet. Fastu deposito (inquit homil. 66. ad popul. Antioch.) ad ipsorum tumbas stant supplicaturi, vt pro se Apostoli apud Deum intercedant. Ad loca D. Chrysosto. responsio.

Quod igitur loco priore ab aduersariis obiecto, Chrysosto. videtur in speciē negare, Patronis apud Deū esse opus, neque " multo discursu, vt blādiaris aliis; nō eo sensu dixit, quasi aliorū " apud Deum opt. patrocinium omnino velit exclusum. Disertis enim verbis euestigio consequentibus (quæ aduersarij fide mala ad fucum imperitis faciendum omiserunt) docet alios pro aliis orare, immo patrocinari, adeoq; exorare. Quin etiam exemplo Cananęæ paulò inferius demonstrat, nos orando tantum fiduciæ à Deo accipere, vt aliis quoque apud Deum patrocinari possimus, quemadmodum Cananæa (inquit) non solùm fiduciam, multasq; laudes consequuta est, sed filiam quoque intollerabilibus molestiis eripere potuit.

Plagium Confessionistarū in verbis Chryso.

Fatetur Chrysosto. alios pro aliis apud Deū intercedere, adeóq; exorare.

Liquet ergo, D. Chrysosto. non abolere aliorum pro aliis apud Deum intercessionem, qui Deum ostendit nobis annuere atque largiri, cùm alij pro aliis oramus; sed vt orandi fiduciam augeat, & desidiores, aut veriùs diffidentiores ad magnã de Deo fiduciam concipiendam extimulet, demonstrat non esse semper necessarios alios pro nobis interpellatores: immo non tam facile Deum ait annuere nostris votis, cùm alij pro aliis, scilicet non fidenter aut gnauiter serioque orantibus, orant, vt cum ipsimet oramus.

Vides igitur, Lector candide, D. Chrysostomum nõ dãnare sanctorum pro nobis preces, aut pias ipsorũ pro nobis apud Deum interpellationes: sed excitare orandi fiduciam, & vt ipsi potius Deum orantes accedamus, quàm vt rem totam aliis committamus. Hoc enim clarissimis verbis docet, quæ callidè, immo fraudulenter detruncarunt aduersarij. Neque tam facile (inquit) Deus annuit, cum alij pro nobis (puta non accedentibus, aut non confidenter orantibus) orant, vt cum ipsimet oramus. Postulat ergo Chrysostomus, vt ne aliis precatoribus nimium confidamus, sed ipsi quoque oremus, vt sic facilius, quàm si soli illi interpellatores pro nobis non orantibus Deum interpellarent, quod ambimus impetremus.

Fides mala aduersariorũ, qui præcidunt D. Chrysost. verba, quæ difficultaté obiectam dissoluant.

Sic homil. 43. in Genes. cum Loth docuisset Abrahę intercessione Sodomitico incendio liberatum, subtexuit: Quando quod ex nobis est, simul afferimus, & accedit intercessio sanctorum, plurimum nobis confert.

Negligẽtes non iuuát sancti, sed strenuos precatores.

Quod si ipsi negligentes fuerimus, & spem in illis solis collocauerimus nostræ salutis, nihil amplius nobis prodest: non quòd infirmi sunt iusti, sed quia propter nostram desidiam nos ipsos perdimus.

Nõ est solis sanctis intercessoribus fidẽdum.

Porrò ad alterum D. Chrysost. locum quod attinet ex 4. homil. de pœnit. à Confessionistis recitatum; plurimum is sanè acceperit lucis, suo si reddatur, vnde auulsus est, immo euulsus improbè, corpori. Ad seriam enim animi pœnitentiam exhortatus, vt cor contritum atque spiritum contribulatũ Deo in sacrificium offeramus, monet non esse ad humanum auxilium prospiciendum, neque ad homines (nimirũ adhuc mortales) confugiendum; sed vniuersos transiens (ait) ad illud animarum

Ad 2. Chrysostomi locũ responsio.

marum medicamentum (qui Deus eſt) euola. ”

Quòd enim de mortalibus duntaxat loquatur, ex iis quæ præceſſère, liquet. Si quid moleſtum, inquit, videris incidere, ” quodq́ue impedimento (ad orationem puro totóq; corde fun ” dendam) futurum ſit; ne ad humanum proſpexeris auxilium ” (puta quod hac in vita homines agentes adferre queant) ſed ad animarum medicum.

Cor enim curare ſolus poteſt, qui finxit ſingulatim corda noſtra, & intelligit ſemper opera noſtra. Deinde paucis eodem facientibus interpoſitis, verba ſubtexuit ab aduerſariis contra Sanctorum inuocationem adducta; ſed quàm à genuino ſint detorta ſenſu, locus ipſe totus inſpectus non per fragmēta diſſipatus, eloquitur.

Comparat enim facilitatem exorandi Deum cum illa Palatina difficultate exorandi Principes ſeculi, aut dominos iſtos terrenos. Hoc enim habet illa collatio ab aduerſariis recitata. Atqui homines ſi quando exorare oportet; ait Chryſo. & ianitoribus priùs occurrere conuenit, paraſitiſque, hiſtorionibusq́; ſuadere, & longam ſæpè viam abire. In Deo nihil tale. Certè ne Catholici quidem tale aliquid exigimus, aut fieri debere docemus, quando ſanctos pro nobis orantibus comprecatores adhibemus. Non enim neceſſarium, vt paraſitorū, aut hiſtrionum more illis prius exponamus, quidnam à Deo nobis poſtulent, aut longam vt abeamus viam, vt nobis comprecentur, qui agnum illum comitati rebus noſtris (vti ait Baſil. lib. de virginitate) omnibus interſunt: Sed Deo ſoli cardiognoſtæ cor noſtrum aperientes, illi quod in votis eſt, expromimus, ſanctos precati, vt noſtras orando adiuuent preces. Cor enim curare ille ſolus poteſt, vti dudum dixerat Chryſoſtomus: ſolus noſtram ſubire conſcientiam, ſolus mentem poteſt tangere, ſolus animam flectere.

Collatio facilis ex orationis apud Deū cum difficillima exoratione, quæ in Regum palatiis impetratur.

Sic & D. Augusti. de cura pro mort. D. Maximus Ser. in martyr. Tauri.

Quod igitur in pericope ab aduerſariis allegata ſubtexuit Chryſoſtomus: Sine mediatore exorabilis eſt, ſine pecunia, ſine impenſa precibus annuit; ad illum ſenſum eſt accipiendū, quem collatio aulicorum paraſitorum & hiſtrionum & ianitorum nos ad Principes terrenos admittentium efflagitat. His enim largienda munera, & blandiendum, & adulatoriè caput

Sine mediatore exorabilis eſt, cui largiaris munera, cui cauſam aulico more commēdes.

 animuſ-

animusq; submittendus, vota anxiè solicitáq; oratione exponenda, ambiēdus commendantiū fauor, demeranda intercessoris aut deprecatoris gratia, eblandiendus deniq; atque captandus, ne dicam redimendus, interpretis animus.

Tale nihil est in Deo, vti nos cum D. Chrysost. profitemur, qui sine pecunia, sine impensa, nostris annuit precibus. Non ergo simpliciter omnes apud Deum D. Chrysostomus excludit aut cōprecatores, aut pro nobis intercessores: sed eos tantùm, qui ad formam Ianitorum istorum palatinorum, aut parasitorum istorum aulicorum muneribus aut pretio inductorum nobis Deum concilient, aut nobis comprecentur.

Non quoslibet tollit mediatores Chrysosto. Homil. in Genes. 41. & in Psal. 50.

Neque omnes tollit in vniuersum mediatores Chrysosto. qui alibi sanctos disertè pro nobis docet Deum orare, immo iratum vel post mortem, vti ostensum est, placare: sed tales, per quos, vti in aula fieri dixerat, nostra vota sint Deo exponenda. De talibus enim palatinis aduocatis loquutum Chrysostomum manifestissimè conuincit ætilogia mox pericopæ ab aduersariis allegatæ prudenter ab illo quidem subiecta, sed à Confessionistis mala non minùs fide, quàm mente suppressa, immo studiosè prætermissa; quia hæc intermedia omittentes, mox alia ex eodem loco dolosè infarciunt.

Dolo malo aduersarij omiserunt, quod causam ipsorū euertat funditus.

Illa enim huius ætiologia omnem hūc nodum Sanctorum inuocationi obiectum nullo negotio dissoluat. Sic enim mox subtexuit: Satis est enim solo (inquiens) corde clamare, lachrymas fundere, atque ilico eum ad misericordiam contraxeris.

Vides igitur, pie Lector, illis verbis, Sine mediatore exorabilis est, sine pecunia, sine impensa precibus annuit, D. Chrysostomum, aliud non velle, quàm apud Deum non esse illis emptitiis palatinis mediatoribus, immo conductitiis aduocatis opus, quibus sit cum donis & largitionibus antè exponendum animi votum, quàm Deo animarum medico aperiatur.

Ad III. Chrysost. locum responsio.

Cæterùm quod tertio loco adferunt ex eodem Chrysostomo aduersarij, vt nihil contra piam Sanctorum inuocationem re vera facit, si totus fideliter consulatur, ita equidem miror, vtrum maior sit effrons ista Confessionistarum Theologorum

logorum impudentia, an improbum Iuriſperitorum imperitos fallendi ſtudium.

Cum enim me volueris precari (inquiunt ex Chryſoſto.) ſolus accede, aſtante nemine, corde videlicet clama, neque labia mouens oſtium tuum claude. »

Hæc ſanè verba, vti ingenuè fateor, ſi ſola cogitētur, aliquid prima quidem facie, facere videntur contra vſitatam Catholicæ Dei Eccleſiæ de ſanctorum inuocatione doctrinam. Verùm qui verba D. Chryſoſt. inter vtramq; iſtam ab aduerſariis recitatam ſententiam dolo malo ab ipſis prætermiſſa, immo exciſa, vel obiter perlegerit, obſtupeſcat. ſat ſcio, tantum in aduerſariis ſeſe prodere fallendi imperitos ſtudium. continenter enim ante hæc verba. Cū enim me volueris precari, ſolus accede, D. Chryſoſt. alteram præmiſit ætiologiam, cur difficilius ſit ab hominibus aliquid impetrare, quàm à Deo. Nam varia (inquit) incidere poſſint incōmoda, immo pericula planè capitalia, ſi cauſſam tuam aulicis illis Ianitoribus, palatiniſque Oratoribus deprecaturus expoſueris.

Dolus malus aduerſariorum detectus, quo verba intermedia euellūt ſententiis à ſe allegatis, quæ obiecta diſſoluāt.

Sic enim ait: Et item homines deprecātes ſæpenumero formidamus, ne quis inimicorū perceperit, aut rem ex aduerſariis quiſpiā intellexerit: alioqui prodit dicēda, iuſtumq; corrūpit. In Deo autem nihil eſt tale ſuſpicari. Cum enim me volueris precari, ſolus accede. Ecquid obſecro nūc illud, Solus accede, cū me precari volueris, aduerſatur piç ſanctorū inuocationi ſiue interceſſioni? An hac in re nobis formidādū ſit, ne aut inimici reſciſcant quidnam ſupplicando ambimus; aut aduerſariorum quiſpiam intelligat quidnam impetrare ſtudemus? »

Tales igitur D. Chryſoſtomus excludit patronos aut mediatores mortales homines, à quibus periculum ſit, ne quid eliminent, ne quid aduerſariis prodant, aut ne iuſtum corrumpant. In Deo enim nihil eſt tale ſuſpicari: quippe qui opus non habet, vt ei per oratores tales noſtra exponatur cauſſa, qui nobis periculum creare queant aut prodendi, aut iuſtum corrumpendi. Solus ergo accede, ſine talibus interceſſoribus, qui cauſſam tuam aduerſariis prodere queant, aut iuſtum tuum poſtulatum, ſiue iudicem corrumpere, tuis ab aduerſariis pretio corrupti. Solus, inquā, accede, aſtante nemine, cum

Solus accede, excludit pericula ab [illegible]is impendentia, quæ ſolent in aula vſu venire.

cùm me precari volueris, corde clama. Quę voces duæ vltimę omni luce clarius euincunt, D. Chrysostomum nõ contra sanctorum cum Christo regnantium pro nobis intercessiones loqui: sed tantum contra illos aulicos mediatores siue oratores, vt posteà dicit forenses; qui apud suum Principẽ vel Iudicem nostram agant caussam: quia & ad sanctos corde clamamus, vt nos suis adiuuent precibus apud Dominum: cui quia sunt longè charissimi, ideo & ipsorum pro nobis preces sunt multò gratissimæ, propter quas Deus optimus nos persæpe exaudit, alioquin non exauditurus, quemadmodum ipse Chrysost. variis in locis dudum cõmemoratis disertissimè nobis vna cum aliis Vet. Patribus supra recitatis suffragatur.

Solus accede, forenses excludit oratores: & Palatinos intercessores.

Quare non est existimandum, tam singulare Ecclesiæ Orientalis lumen aut sui fuisse his in homiliis oblitum, aut suis verbis sibi contraria docuisse: sed quod piæ obiicitur sanctorum inuocationi, esse malignè in alium quàm ipse dixerit, sensum deprauatum cum tam manifestis verbis & homil. 43. in Genes. & Homil. 1. ad Philippen. Ser. in Iuuentinum & Maximum, & alibi persæpe doceat, sanctorum intercessionem nobis ambiendam, sanctosque obsecrandos vt pro nobis orent.

Chrysost. diserte docet, sanctos obsecrandos vt pro nobis orent.

Certè si candidè, ac maiori veritatis, quàm contentionis studio delecti isti Confessionistarum Patroni tam Politici quam Theologi, vel sola hęc D. Chrysost. loca expendissent, nihil dubitandum foret, eos de hac controuersia nõ definituros aliud, quàm præclarus quidam pronunciat Syn-euangelicus Iohan. Oecolampadius. Ad calcem huius Serm. de Iuuẽt. & Max. apparet liquidò, inquit, in annotat. quid B. P. Chrysostomus de veneratione sanctorum sentiat. Asserit enim sanctos qui hinc emigrarũt, patrocinari nobis; & nos inuitat, vt illos sępe inuisamus, illorum tumulos adornemus, magna fide illorum tumulos cõtingamus, quo benedictionem aliquã inde assequamur.

Chrysosto. vel Oecolampadio teste, docet sanctos nobis patrocinari, ideoque orandos.

Nam postquam eorum virtutem & constantiam depinxit, tunc tandem de sanctorum opitulationibus & intercessionibus aliquid subdit, velut brauium quoddam legitimi certaminis, & insignis victoriæ. Deinde vbi variis argumentis refutasset Oecolampadius Hagiomachos, qui sanctorum inuident gloriæ, suam disputationem concludens: Quid mali, inquit,

ſi & commendemus(populo) patrocinia ſanctorum, modò id circunſpectè, oportunè & modicè fiat,pro auditorum qualitate? Id quod hic agit Chryſoſtomus, & Nazanzenus quoque in laudibus Cypriani,& obſeruant hoc fermè omnes Eccleſię tam Orientis,quam Occidentis. Habemus gratiam,Oecolampadi,quod tuos ſyn-euangelicos iugulans noſtræ Eccleſiæ doctrinam conſtabiliſti.

Populo cōmendanda ſanctorū patrocinia,quia nihil mali habet, ait Oecolampadius, & hoc omnes obſeruant Eccleſiæ Oriētales & Occidentales.

Sed ad reliquas aduerſariorum machinas euertēdas decurrat oratio,quas ſalutari huic doctrinæ ſtruere non diſpuduit.

Denique quod poſtremo loco D. Auguſtinum de vera Relig.contra nos adducunt Confeſſioniſtæ,mirum quanam fronte id fuerint auſi.

Cum enim D. Auguſtinus illic ex profeſſo doceat,quod Catholici ab ipſo aliiſque Orthodoxis edocti obtinemus, nimirum vt ſanctos Dei filios honoremus propter imitationē,non adoremus propter religionem; hoc eſt, vti ipſe ſuis declarat verbis, vt ſanctos non religione,quæ eſt Dei cultus, diuináque ſeruitus,colamus;ſed imitatione honoremus: ecquid obſecro nobis illa D. Auguſtini aduerſatur ſententia?

D. Auguſti. aliquem honorem ſanctis docet tribuendū: ſed nō religione, diuinóque cultu adorandos.

Vbi dum S. Auguſtinus aliquem agnoſcit ſanctis tribuendum honorem,non omnem ſanctis impenſum honorem habet idololatricum: ſicuti nec omnem ſanctorum inuocationem habet impiam,aut ſacrilegam,nedum idololatricā: cum ipſe clariſſimis verbis D. Cyprianum inuocarit lib.7.de baptiſ. c. primo. vti alibi & alios ſanctos.

Cùm ergo perſpicuum ſit omnibus verum videre volentibus Catholicos diuinis SS. Scripturarum ſententiis & Orthodoxorum omnis ætatis,potiſſimum verò ante annos 1200. illuſtriſſ. Patrum teſtimoniis,adeóque exemplis nixos nihil Dei mandatis,aut diuinis vocibus,Patrumúe Orthodoxorum ſententiis contrarium ſentire, aut diuerſum agere, aut peregrinum facere in pio ſanctorum cultu, inuocatione, ſiue adoratione(quæ citra diuini tamen nominis honorem ſiſtit, neq; ad diuinum pertinet cultū) liquet Confeſſioniſtarum machinā huic Catholicæ doctrinæ capiti exemplo Machumetano intētatam, eſſe inualidam,nihilque eorum omnium efficere, quæ tam neceſſariis, vti aiebant, rationibus ſeſe demonſtraturos

Epilogus primę Antitheſeos.

turos vanissimè iactabant.

Quàm facilis foret hac de Antithesi concordia.

Hinc etiam Lector candidus atque Christianæ pacis studiosus planè perspiciat, quàm facilis sit hac de antithesi concordia, modò absit contentionis studium, & sola veritatis quęratur victoria. Nam sanctos pro nobis orare, contra phanaticos aliquot Euangelicos, agnoscunt nobis concorditer Cõfessionistæ, quotquot Confessionis Augustanæ Apologiam reuerenter suscipiunt, eique fidem habent. Illam verò de pia Sanctorum inuocatione citra omnem diuinum cultũ doctrinam iam dudum Scripturarũ sententiis, liquidisq; orthodoxorum PP. testimoniis atque perpetuo Ecclesiarum omnium consensu, quod vel Oecolãpadius & Bucerus agnoscere fuit coactus, cõfirmauimus. Si suis igitur verbis, fol. 400. recitatis, stare pergunt Confessionis Augustanæ professores, illustriss. Ro Imperij ordines, non possunt non Catholicis herbam dare, eisq; de legitimo Sanctorũ cultu vna cum reliquo orbe Christiano, suisq; maioribus ad formulam Concilio Tridentino dudum ex Dei verbo, certáq; Apostolorum traditione præscriptã consentire.

Cæterùm hoc in dogmate, quòd Machumetum illũ Apostatarum omnium facile corypheum imitati prima coitione sanè acerrima aggrediebantur præclari isti delecti Confessionistarum defensores sua spe frustrati, atque vani deprehensi, hunc in modum secundum deprauatæ à Catholicis Euangelicæ, vti aiunt, doctrinæ caput aggrediuntur demonstrare.

II.

SECVNDA ANTITHESIS.
De Statuis & Imaginibus.

De imaginibus. CAP. VI.

Eadem ratione, inquiunt, Scriptura sacra vetat vllam imaginem rerum, quæ vel in cælo, vel in terra, vel etiam infra terram, siue ea picta sit, siue sculpta, siue ficta, adorandam esse, aut preces ad eam fundendas.

RESPONSIO LINDANI.

Anonymos Cõfessionistarũ Patronos, aliis Cõfessionistis adeò que suo Luthe-

IMAGINES Christi atque crucis Dominicæ habendas, extra controuersiam est Catholicis & iis Euangelicorum, qui Lutherum sequuti magistrum nondum in flagitiosam Sacramenta-

mentariorum factionem toti declinarunt, aut magis à vero aberrantes nondum planè degenerarunt; cum VVittenbergę, & alibi suis in templis retineant Christi crucifixi, aliasq; imagines. ro aduersari de imaginibus.

Quinimo sua Confes. Lutherus diserte docet, liberum esse imagines habere, vbi & sese Iconoclastarũ hostem profitetur, quòd eas contra Scripturam & fidè dignas historias aboleant. Verùm de imaginum vsu controuersia nobis est, an solũ commemorandi, an etiam colendi causa seruandæ sint, & obtinendæ Christianis.

Confessio. Imagines habẽdas docet Lutherus.

Iconoclastas damnat Lutherus.

Hic autem cultus, qui Christi aut Sanctorum eius imaginibus impenditur siue exhibetur, si rectè veréque intelligatur, quânam mente à Catholicis doceatur atque vsitetur, nullum mortalium, opinor, qui rem ipsam moderato considerarit ingenio, atque æquo expendat iudicio, offensum iri.

In primis nihil contra illa Scripturarũ loca facimus, quę belli isti Confessionistarũ patroni adferunt ex libris Exo. c. 20. & Leui. 19. cùm liquidum sit de idolorũ loqui simulachris. Deinde, vt generatim dicta accipias, planum est non omnes illis Dei vocibus prohiberi simpliciter imagines, cùm Deus ipse per Moysen atque Salomonẽ imagines Cherubin, Serpentẽ, item boues & leones fieri mandarit: sed hoc tantũ fine, ne adorentur, neque colantur; puta honore diuino, instar idololatrarum, quod disertè addidit Moyses: Non adorabis ea, inquiens, neq; coles. Huc facit quod & D. Iohannes Christianos admonet, Custodite vos à simulachris. & D. Paulus: fugite cultum idolorum. quod cùm proculdubio faciamus Catholici, arguimur tamen ab istis Euangelicis (si Christo placet) idololatrias, quod pias Christi Domini imagines, aut sanctorum eius picturas habemus in pretio, aut digno congruentiq; aliquo prosequimur honore. Iam cùm id quicquid est honoris, aut cultus, faciamus non imagini, nõ figuræ, non materiæ, non simulachro; sed personæ, aut rei illis figuris significatæ atque repræsentatæ, citra omnem idololatriæ suspicionem, aut erroris nęuum istud fieri liquebit, quisquis rem candidè volet diiudicare.

Vsum imaginũ Catholicis familiarem, non esse contra Scripturas.

Imagines quædam Christianis nõ ferendæ. 1. Iohan. 5. 1. Corinth. 10.

Siquidẽ res illis figuris repræsentata propter virtutes diuinitus personis donatas venerabilis est, & aliquo digna honore:

Imagines quædam colũtur legitimè propter suũ prototypõ.

quod ne Turca quidem aut Iudæus iuerit inficias.

Quod si ita est, certè ipsa quoque illius imago aliquo digna est honore, aut veneratione. Non quidem per se considerata, quia imago: sed suum ad prototypon relata, quia vel Christi, vel Pauli imago.

Proinde cum in imagine reluceat quod repræsentat, quid obstat, quæso, quo minus liceat eundem rei animo per imaginem repræsentatæ honorem exhibere, quem rei citra imaginis speciem ostensæ meritò atque legitimè impendas? omnis enim honor imagini exhibitus in illũ redundat, cuius est imago, teste D. Basileo: pertinet enim ad prototypon, id est, ad primam rei speciem, vnde imago est Latinis ab imitando dicta.

Imago sponsi à spõsa exosculata nõ facit sponsam idololatrã.

Hinc nõ alia de causa imagini honor exhibetur, quàm propter id quod repræsentat. Proinde sicuti adulteram non facit sponsam, quòd absentis sui sponsi effigiem, aut mnemosinon exosculatur siue amplexatur, nonnulloque habet in pretio ita nec idololatras facit Christianos, quod Christi imaginẽ, Pauli effigiem, Crucifixi Do. simulachrum osculo piè colimus, siue alio venerationis signo legitimè honoramus. Nõ enim ipsi ligno, aut signo hunc habemus honorem: sed ipsi tantum rei per illa significatæ, animoque ad piam recordationem ardentioremque amorem excitandum repræsentatæ.

Calumniã Paganorum renouant contra Catholicos Cõfessionutæ.

Talem fuisse ab initio Christianorum hominũ doctrinam, paucis nunc venit illustrandum, vnde liqueat, quàm immeritò nos aduersarij de idololatriâs crimine in hoc doctrinæ capite calumnientur. Qua in re ipsos priscorum hæreticorum & Paganorũ blasphemiam Christianis olim temere obiectam renouare, perspicuũ est ex D. Iohan. Damasceni verbis, Quidam nos accusant, inquit lib. 4. c. 17. quòd adoramus & veneramur Saluatoris & Reginæ nostræ Deiparæ atque sanctorum Christi famulorum imaginẽ: audiant quòd à principio Deus hominem ad suam imaginem fecerit. Cuius ergo gratia inuicem adoramus, nisi quatenus ad imaginem Dei facti sumus. Nam teste D. Basilio, ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει, honor imaginis ad exemplaris transit honorem. Et post pauca. Similiter & de B. Dei genitricis imagine, ἡ γὰρ εἰς αὐτὴν τιμὴ εἰς τὸν ἐξ αὐτῆς σαρκωθέντα ἀνάγεται. honor enim illi exhibitus, in eum

in eum, qui ex ea incarnatus est, redundat. Est autem hæc traditio, ait Damasc. non scripta, adorare crucem, & alia plurima iis quæ dicta sunt similia, vt & ad Orientem.

QVOD igitur contra imaginum vsum Ezechiæ adferunt exemplum de confracto æneo serpente, nihil efficit: cùm manifestum sit, populum Iudaicum hac imagine fuisse ad idololatriam abusum. Nam hoc disertis verbis Scriptura exponit, Si quidem vsque ad illud tempus filij Israhel adolebant ei incensum. Iure ergo optimo pius Ezechias sustulit, quod grauissimę irę diuinæ iustissima fuit causa, quemadmodum & hodie piis faciendum esset, vbi similis esset erroris, aut vanæ superstitionis periculum. Quod non modò idololatriæ, sed vanæ omnis etiam impietatis atque superstitionis periculum à Conc. Tridentino iam dudum est perdiligenter sublatum Sess. 25. in decr. de imagin.

CAP. VII. Ezechiæ exemplum de cõfracto æneo serpẽte, nihil aduersari doctrinę Catholicæ.
4. Regum. 18.

Cæterùm quæ aduersarij ex Patrum testimoniis cõtra imaginum vsum adferunt, pro nobis faciunt. Si quidem Catholici ex Conc. vniuersalis 7. definitione credimus nõ imagines adorandas, sed iis conspectis mente colendum, quem repræsentant, iuxta illud Damasi præclari sanè Pontificis:

Loca Veterum PP. ab anonymis allegata cõtra ipsos faciũt.

Hoc Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa:
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in illa.

Ad hunc modum & nos cum Helena, vti D. Ambro. adnotat, non lignum adoramus errore gentili, aut impia vanitate: sed Christũ regem in illo suspensum Christiana colimus pietate.

Ambros. orat. funebri in Theodo. A.

Quo autem honore D. Ambrosius ipsam crucem Dominicam docuerit venerandam, satis superque oratione de obitu Theodosij expressit: vbi Iudæos Christi æmulos inducit sic loquentes, Quem nos crucifiximus, reges adorant: Ecce & clauus in honore est: & quem ad mortem impressimus, remediũ est salutis, atque inuisibili quadã potestate demones torquet.

Clauus crucis olim in honore fuit.

Porrò quæ ex D. Augustino contra nos adferunt, nostram adeò non euertunt doctrinam, vt statuant magis; quippe qui sepulchra, aut picturas minimè docemus adorandas aut religione colendas. Vnde & nostra Ecclesia per Conc. Tridentinum dudum allegatum hos condemnat mores, & illos sepulchrorum, vel picturarũ adoratores tanquam malos filios cor-

Augustinum ab aduersariis allegatum Catholicã statuere doctrinam.

rigere studet, vt religionem soli Deo, quod monet Augustinus, impendát: Sanctos verò Angelos, aut homines, siue eorũ imagines & picturas charitate, non seruitute diuina, aut cultu latriæ colant, quemadmodum grauissimè peccasse Carpocratianos D. Augustin. annotat, qui Iesu, Pauli, & Pythagoræ imagines adorabant, incensumque adolebát. Vnde liquet, eos longè aliter coluisse Christi, & Pauli imagines, quàm hodie Catholici colimus. Illi enim Christi & Pauli & Pythagoræ simulachra eodem cultus genere adorabant cęci idololatræ; quod nostris à moribus tá abest lõgè, vt nõ cælũ distet à terra lõgius.

Imagine Christi quidam abusi, ideoque reprehensi.

Anonymi suis se ipsi verbis conficiunt.

Nullum ergo habet locum obiecta Catholicis à Confessionistarum patronis doctrinæ suæ antithesis, quasi contra Scripturam faciant, quod docent imagines Dei, & Sanctorũ, crucis ligneæ, siue argenteę adorari, siue reuerenter coli, & coram ipsis homines sese prouoluere adorabundos: cũ istud faciant, vti aduersarij suo se ipsi iugulantes gladio recitant, non vt effigiem, vel imaginem adorent, sed vt, quod illa designat, honorent. Coguntur ergo suis victi verbis agnoscere aduersarij Catholicos esse sacrarum imaginum quidem cultores, sed Christi in illis crucifixi adoratores: Pauli verò detruncati, Stephani lapidati, Petri in crucem acti, Cypriani decapitati, Clementis submersi, siue Laurentij vstulati non adoratores, sed pios veneratores.

CAP. VIII. Peregrinatio ad Sanctorũ imagines defensa ob sanctorum cultum certo loco miraculis diuinis illustratũ.

CAETERVM quòd obiter hic de peregrinationibus ad illas imagines siue statuas religionis ergô annotant, nullo negotio concidit vltro, quando piis lectoribus in mentem venit, quónam animi poposito fiat. Si enim licitum est Christi imaginem pia veneratione propter Christum crucifixum, quem repræsentat, colere: ecquid, obsecro, refert, an hoc in cubiculo facias, an in templo? domi an peregrè? maximè cùm, vel Ambrosio teste, crux Christi & claui alicubi conspicuis fulgeant miraculis?

De obitu Theodosij A. sub finem.

Antiquitas peregrinationũ ad certa loca ob S. reliquias.

Iam quod ad Sanctorum peregrinationes attinet, liquidis conuincitur etiam priscorum seculorum exemplis, Augustino & Ambrosio aliisq; PP. contestantibus, Deum Opt. sua miraculorum dona suis amicis vario & loco & tempore distribuisse, quæ cum sese illis potius, quàm aliis in locis Dei Opt. largitate

tate prodant, liberaliſſiméque illic effundát, fruſtrà nobis illorum communionem inuidemus, quemadmodum D. Auguſtin. diſertè docet de S. Stephani miraculis per Africam ſua ætate celeberrimis, & oculatorum teſtium fide certiſſimis. libr. 22. de Ciuit. c. 8. & 10.

Proinde inſtituto noſtro minimè, opinor, alienū videbitur, ſi huius rei antiquitatē ex priſca illa maiorū diſciplina eruere ſtudeamus. Cauſam verò, cur pij maiores noſtri peregrinationes ad Sanctos certáq; loca, aut coluerint, aut ſolēniter obſeruarint, D. Augu. epiſt. 137. exponit. Cū inter ſuæ Eccleſiæ miniſtros ingens orta fuiſſet contentio, qua Bonifacij presbyteri famæ incæſtū ſtupri crimen intentabatur, D. Auguſt. prudenter admodū vtrique parti conſulens, quòd res obſcuriſſima dirimi facilè non poſſet; ſcandali grauiſſ. euitandi cauſa, rationem excogitauit, quæ rei veritatem certo aperiret.

Cauſa cur maiores noſtri pias ſuſcepére religionis ergo peregrinationes.

Elegi aliquid medium (inquit epiſtola illa 137. ad ſuū popu. Hippo. hac de re data) vt certo placito ſe ambo conſtringerent ad locum ſanctū ſe peregrinaturos, vbi terribiliora opera Dei nō ſanam cuiuſq; conſcientiam multò faciliùs aperirent, & ad confeſſionē vel pœna, vel timore cōpellerent. Vbique quidem Deus eſt, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in ſpiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iuſtificet & coronet. Veruntamen ad iſta quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt eius conſilium perſcrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant?

Opera Dei alicubi terribiliora, miraculáque Sanctorum non eadem vbique omnia ætate D. Auguſtini.

Multis enim notiſſima eſt ſanctitas loci, vbi beati Felicis Nolenſis corpus cōditum eſt, quo volui vt pergerent, quia inde nobis facilius, fideliuſq; ſcribi poteſt, quicquid in eorū aliquo diuinitus fuerit propalatū. Nā & nos nouimus Mediolani apud memoriā ſanctorū, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones cōfitentur, furem quendā, quia ad eū locū venerat, vt falſum iurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum, & quod abſtulerat reddere. Nunquid non & Aphrica ſanctorum martyrum corporibus plena eſt? Et tamen nuſquam hic ſcimus talia fieri. Sicut enim quod Apoſtolus dicit: Non omnes ſancti habent dona curationum, nec omnes habent diiudica-

Nolæ Italicæ fiebāt præclara miracula, vt & Mediolani, quæ nuſquā alibi diuina virtute.

Dei dono alia alibi fiūt miracula, quæ pios illuc ſingulariter euocāt orandi cauſa.

diiudicatione ſpirituum; ita nec in omnibus memoriis ſanctorum iſta fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique pro vt vult.

Quibus ex verbis perſpicuum eſt, quàm ſit peregrinatio hęc ad ſanctorum tumbas & pia & antiqua, ſolidiſq; ſcripturarum fundamentis nixa. Quod enim ex Africa ſuos D. Auguſtinus in Italiam vſque ablegat, ad ſanctos inuiſendos: hoc alij pij Epiſcopi faciebant alibi: vt aut ad vicinos, aut longius diſſitos ſanctos pia peregrinatione orandi cauſſa ſuſcepta proficiſcerentur.

Quantus autem ſolet olim illa priſca ætate ante annos plus minus mille pij populi Chriſtiani ad venerandas SS. Chriſti martyrum reliquias eſſe confluxus, notius eſt ex recitatis dudum D. Theodoreti & Baſilij locis, quàm vt ſit verboſius tædioſo pij lectoris faſtidio repetendum.

Reges olim peregrinari ſolitos auxilij impetrandi cauſſa, teſtatur Chryſoſtomus.

Neque verò plebeculam tantum hac fuiſſe religionis opinione, ſed ipſos etiam Auguſtos, Regeſque potentiſſimos, D. Chryſoſtomus liquidò conteſtatur; qui homil. 66. ad Antioch. docet multos reges huius ſpectaculi gratia (inquit vt ſanctorum martyrum miracula cernerent, eorumque auxilia experirentur) peregrinatos eſſe. Quod ne quis ex plebeiorum calumnietur factum ſuperſtitiõe, audi, quæſo, ipſum Chryſoſtomum ſuos ad has religioſas exhortantem peregrinationes: Idcirco eos (inquit ſer. v. in Iuuentium & Max.) ſæpe inuiſamus, tumulos adornemus, magnáque fide reliquias eorũ contingamus. Rurſus paulò inferius, Proinde magna fide ac prõtitudine huc veniamus. Sed hanc rem vnus locus illuſtret præ aliis eximiè, qui eſt homil. 8. in epiſt. ad Epheſ. cap. 4.

Magna fide contingẽdas & inuiſendas SS. reliquias hortatur Chryſoſto.

Romana peregrinatio vnde orta, quam D. Chryſoſto. ſuo decoraſſet exẽplo, ſi per valetudinem licuiſſet.

Quod ſi liberum fuiſſet mihi (inquit) per curas Eccleſiaſticas, & corpus habuiſſem validũ, nihil vtique cauſatus fuiſſem, quo minus tanta ſuſcepta peregrinatione catenas duntaxat illas & carcerem, vbi ligatus fuit D. Paulus, vidiſſem.

Quæ D. Chryſoſtomi verba vt diſertè loquuntur eius in D. Pauli catenas viſendas animum religioſum: ita & conſuetudinem tunc piis ſolemnem cõteſtantur, qua Chriſtiani ex more ſolent Romam orandi cauſſa confluere. Neque enim illa ætate res hæc fuit nata. Certè diu admodum antea ſeculo D.

Cypria-

Cypriani ſub annum Domini circiter 250. à Perſide vſque Romã pij ventitabant orationis cauſa ad tumbas Apoſtolorum, quemadmodum eſt in vetuſtiſſimis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ codicibus, Marium & Martham tribus comitatos filiis ad orationem Apoſtolorum Romam veniſſe: quod in tempus Claudij C. incidit.

Anno ferè 200. erat Romana peregrinatio ſolẽnis ex Perſide vſque.

Similiter ad D. Agathæ ſepulchrum vna cum valetudinaria matre adiit orationis cauſſa D. Lucia, tempeſtate Deciana ſub annum Domini 240. Teſtatur D. Chryſoſto. homil. in D. Iob. ad popul. Antioch. V. quoſdam abire ſolitos in Arabiam, vt terram oſcularentur, in qua D. Iob ſederat.

Peregrinatio in Arabiam ad D. Iob, vt eius locũ oſcularentur.

Non enim ſolius orationis cauſa priſci illi Chriſtiani maiores noſtri Romam, aut Ieroſolymam petebant: ſed venerationis etiam, licet enim Chriſtus de tẽpli Iudaici euerſione prophetans dixerit: Erit tempus cùm neque in Ieroſolymis, neq; in monte hoc Patrem adorabunt: tamen & Ieroſolymam & Samariam petebant Chriſtiani. Sed quur nam obſecro? Certè vt prophetia Eſaiæ impleretur, Erit ſepulchrũ eius glorioſum. Siue vti eſt apud 70. Et requies eius honor. Locus enim quo

Non ſolũ orãdi cauſſa, ſed & venerationis auxiliique illic impetrandi cauſſa olim habita peregrinatio Ieroſolymitana, & Samaritana, & Romana.

corpus hoc poſitum fuit, ait Chryſoſto. homil. quod Chriſtus »
eſt Deus, breuis erat & valde anguſtus, auguſtior tamen & ve- »
nerabilior mille Regum palatiis: immo etiam regibus ipſis. Et »
erit requies eius honor. Non in ipſo tantum, ſed & in diſcipu- »
lis ſuis hoc contigit, nam qui ducebantur & circumduceban- »
tur, qui contempti erant, & vincti, qui innumera patiebantur »
dum viuebant, vbi defuncti ſunt, regibus ipſis erant magis ve- »
nerabiles, etiam Romæ, quæ Vrbium eſt regaliſſima, relictis »
omnibus, ad ſepulchra piſcatoris & pellionis currunt & Reges
& præſides, & milites. Et in Conſtantinopoli Reges noſtri ma-
gnam gratiam putant, non ſi propè Apoſtolos, ſed ſi vel extra »
eorum veſtibula corpora ſua ſepeliantur, fiantque piſcatorum »
oſtiarij Reges. Neque hinc in morte confunduntur, ſed hone- »
ſtantur & ipſi, & eorum nepotes & pronepotes. »

Cur ad ſepulchrum piſcatoris Petri Reges Romã currant.

Sic & Samariam ſtupẽdis Do. Chriſti prodigiis ad Sanctorum ſuorum buſta factis fuiſſe olim claram, D. Hiero. in vita D. Paulæ teſtatur, quam ait multis conſternatam intremuiſſe miraculis, ad ſanctas nimirum reliquias D. Helizæi, Abdiæ & Iohan. Baptiſtæ.

Samaritana peregrinatio ad D. Iohan. Baptistæ reliquias cur olim celeberrima.

Videbat variis dæmones rugire cruciatibus,& ante ſepulchra Sanctorum vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum,fremere leonum,ſibilare ſerpentũ,mugire taurorum, alios rotare caput,poſt tergum terram vertice tangere,ſuſpenſiſque pede feminis veſtes defluere in caput. Quod conſternatam miraculis dicit Paulá intremuiſſe,argumento eſt, talia non temerè alibi,quàm Samariæ ſpectari. Hanc Sanctorum Dei gloriam æmulus diabolus non ferens,ſtuduit ſemper aut abolere,aut ſaltem obſcurare.

Vigilantius ſua in religioſas peregrinationes inuidia etiamnum eaſdẽ confirmat.

Verùm adeò illam extinguere non potuit, vt illuſtrarit magis. Quid enim aliud ſui Vigilantij Galli ſtudio promouit, quàm quod vel nũc eius teſtimonio docemus, pios olim Chriſtianos illa ætate D. Theodoſij ad martyrum buſta confluere ſolitos,vt ſuorum abirent compotens votorum?Hoc enim habent illa venenata Vigilantij verba à D.Hiero.quaſi ouante in põpam protracta.Semper ergo præſentes ſunt, ne fortè, ſi aliquis precator aduenerit,abſentes audire non poſſint.Dolebat ergo & iſti ſomniculoſo Dormitãtio honor SS.martyribus exhibitus;dolebat inuido,quòd precatores accedentes ipſorum implorarent auxilia,quæ res manifeſtam arguit illius ſeculi ad V.Sanctorũ reliquias peregrinationẽ:quam nõ modò D. Hieronymi,ſed & Baſilij atque Cypriani ætate iam oſtenſum eſt, piis fuiſſe ſolemnem. Neque verò iſte certo loco adorandi,ſiue peregrinandi orationis cauſſa ritus nouitius eſt habendus, aut noui etiam teſtamenti proprius,cùm longè ſit vel Moſaica lege vetuſtior.Si enim origines ſacras à Moyſe deſcriptas conſulere, lector, eſt cõſilium;videbis & Abraham Patriarcham certum adiiſſe locũ orandi cauſa,Gene.22.Quid,quod Rebecca grauida certũ petit locum,vt dominũ conſuleret, ait Moyſes, Geneſ.25.Perrexitq; conſulere dominum,ſiue vt eſt apud 70. ἐπορεύθη πύθεσθαι παρὰ κυρίου. Abiit interrogare à domino,ſiue vt Oecolampa.in Geneſeos,qua vſus eſt D.Chryſoſt. conuerſione reddit,perrexit vt conſilium à domino acciperet.

Teſtatur Vigilãtius, pios olim ad martyrũ buſta orare, Sanctoſque inuocare ſolitos, anno 360.

Geneſ. 22. Antiquitus certum ad locũ peregrinandi orationis cauſſa. Geneſ. 25.

Quo autem abierit Rebecca,an in Bethel,an aliò,in præſens nihil refert.atqui fuiſſe ſolemnem piis Dei cultoribus morem orãdi cauſa certũ petere locũ,ac potiſſimũ in Bethel peregrinari,illud abundè fecerit conteſtatũ,quod in lib. Reg. legitur

1.Reg. 9.

occurriſſe

occurriſſe tres viros Sauli,qui aſcēdebant in domum Dei Bethel: quos D.Hieron.in quæſt.Hebra.annotat in Bethel cauſa orationis veniſſe,vbi Iacob lapidem erexerat. Plura huc cōmemorare deſino,ne modum quis deſideret. Vnus D. Augu. abundè piis lectoribus ſuppoditet,quæ hanc rem faciant indubitatiſſimam. Vide lib.22.de Ci.Dei,cap.8.& ſeq. Neq; ſumus neſcij, D.Bernardum epiſtola 319. teſtari,ſe cuidam monacho iter Ieroſolymitanum diſſuaſiſſe.non enim impediendæ orationis,aut piæ peregrinationis cauſa diſſuaſit:ſed propter conſilij (inquit)leuitatem, & Abbatis conſenſum per improbitatem impetratum.neque enim terrenam, ſed cæleſtem requirere Ieroſolymam,monachorum propoſitum eſt.

Peregrinatio religionis ergo cur in contemptum venerit.

Leuitate magis quàm pietate poſteri coluerūt peregrinationes

Cæterùm ſi alicubi hominum negligentia irrepſit, aut falſarum reliquiarum,aut ſuperſtitioſarum imaginū abuſus, vlláue videatur pridem inuecta ſuperſtitio,id Catholicæ Dei Eccleſiæ à probis prudentibuſq; viris vitio verti, nedum crimini dari nequaquam debet: quòd ea vitia cùm antiquis Synodis, tum Concilio dudum Tridentino ſint publicè ſublata, & illæ ſuo legitimo vſui vindicatæ. Vnde liquet Catholicam Chriſti Eccleſiam legitimum duntaxat imaginum vſum probare,impiū abuſum improbare;nō vanam ſuperſtitionē,aut immodicū cultū laudare,ſed corrigere,atq; cum D. Auguſtino malos incautoſq; filios hac in parte vel leuiſſimè peccantes reprehendere atq; caſtigare: quemadmodū preclaro exemplo Reuerendiſs. DD.& illuſt.Principes,D.Maximilianus à Bergis Archiepiſcopus Cameracen.& D.VVilhel.à Groesbeeck, Epiſcopus Leod.Theologorū Louan.conſilio,peregrinationē illā D.Virginis ad VVaufriam inſtaurarūt,ſuperſtitioſiſq; plurimis reſectis,legitimo ſuo vſui iā dudū vindicarūt:quorū veſtigia & alij Deo fauente,ingreſſi Epiſcopi omnē facilè exſtirpabūt aut impietatis,aut ſuperſtitionis labē,quę ſuperiotis ſeculi negligētia (heu nimiū ſupina) inualuerat: quā ſi ad Deſ. Eraſmi aliorūq; nō peſſimorū hominū ſiue ſcōmata,ſiue monita,morſuſq; illis Vigilantianis nihil diſſimiles,in tēpore vigilantes caſtigare ſtuduiſſent Eccleſiarū proceres,nō iſto nunc vbiq; ferè terrarum conflagrante tantùm non periiſſemus diſſidentiū Chriſti Eccleſiarū incendio,quod etiamnū extinguatur facilè, ſi reſectis

Tollēda ſuperſtitio & abuſus imaginum aut peregrinationū, ſed pius & antiquus ſeruandus vſus.

Lib. de Religio.

Quam ad normam reformanda peregrinatio.

Sublata per Brabātiam peregrinatio ſuperſtitioſa.

Ad Eraſmi monita ſiue ſcommata morſuſq; illis Vigilantij Galli non diſſimiles, fuiſſet iā pridē expergiſcendum ad ſuperſtitiones teterrosque abuſus caſtigandos.

piarum rerũ abusibus, improbisq; ritibus superstitionẽ redolentibus ad pristinos mores, ritusq; patribus Orthodoxis probatos concorditer ex animo redeamus. quod vt fiat, magis assiduis danda est opera precibus, quàm nouis indulgendum amplius disputationibus. Sed vt hanc modo cõcludamus Antithesim, locus postulat.

Epilogus. Hac igitur in doctrina facilis sit partium consensus (de iis Confessionistarum ago, qui purum putum Lutheranismum obtinent. nam qui istum degenerem atque ad Caluinismum declinantem amplexantur, veri fiunt Iconoclastæ) quòd imagines habere legitiméque venerari liceat, cùm ipsi non paucas suis in Ecclesiis VVittenbergæ & alibi reuerenter habeant, suumque ipsi Quintũ Euangelistam Diuo sancti Martini Lutheri titulo ad viuum prçlo expressum circumferant non solùm magnificis encomiis ampullatisque elogiis ornatum; sed diuinis etiam (si Christo placet) diuorũ Augustini & Ambrosij prophetiis de ipsius aduentu condecoratum.

Sicuti ergo inter nos Catholicos & istos Germanos Confessionistas de habendis imaginibus conuenit: ita & de modo reuerenter habendi, piéque colendi ritu facilè conueniat, si boni æqui arbitri rem controuersam ad formulam Conc. Tridentini expendere atque decidere nõ grauarẽtur. Liquebit enim, Catholicos nihil contra Scripturas impium in Ecclesiam inuexisse, aut à Veterum Patrum doctrina peregrinum designasse in pia Sanctorum inuocatione religiosoque imaginum venerandarum cultu: sed ex perpetuo Orthodoxorum Patrum & Ecclesiarum verè Christianarum consensu citra Dei contumeliam sanctos ad auxilium piè implorare: & in venerandis imaginibus ad illorum exemplum religiosè aut Deum colere, aut Sanctos Dei amicos citra omnem superstitionis, nedum impietatis suspicionem venerari. Sed nũc ad tertiam Antithesim examinandam transeat oratio.

III. TERTIA ANTITHESIS.

De mediatore siue intercessore generis humani apud Deum.

Sacra

Sacræ literæ vnum proponunt mediatorem, inquiunt, inter Deum & genus humanum, filium Dei Do. nostrum Iesum Christum, verum Deum & hominem, quodque per eius merita solius consequamur gratiam apud æternum Patrem, condonationem peccatorum nostrorum, et vitam æternam.

CAP. IX. De Mediatore vno apud Deũ, quonam sensu etiam Catholici doceant.

RESPONSIO LINDANI.

SICVTI superiores duæ Antitheses Catholicis obiectæ manifesta nitebantur priscorum hæreticorum, Turcarum, adeoq; Iudæorum calumnia: ita hæc tertia, & consequens 4. luculento fulcitur sophismate, id est, captiosa vocabuli amphibologia. Si enim mediatoris siue intercessoris vocem propriè, atque vti D. Paulus intelligit, accipias; nihil erit inter nos controuersum hac de re amplius.

Consensio de vno mediatore.

Siquidem & nos vnum Dei & hominum mediatorem agnoscimus, vnum Dei & hominum intercessorem Christum Iesum & Deum verum, & hominem verum colimus, immo magis veneramur, ac pleniùs, quàm aduersarij, adoramus.

Quod ergo ex D. Paulo 1. Timoth. 2. adducũt, Vnus Deus, vnus mediator, siue vti malunt, conciliator Dei & hominum, homo Christus Iesus; & nos verissimũ prædicamus: talẽ enim nullum alium, tales non plures agnoscimus, aut admittimus mediatores, sed vnum Christum mediatorem, videlicet qui dedit semetipsum preciũ redẽptionis pro omnibus. Vnus ergo est talis mediator, qui suo sanguine homines Deo cõciliat; vnus est qui nullius egenus non alieno nititur merito, aut patrocinio; vnus est denique, qui seipsum pro omnibus tradidit redemptionis humanæ pretium: siue, vt D. Augustinus lib. 2. contra Permenia. cap. 8. ait, fastuosam Donatistarum contundens arrogãtiam, se iactantes mediatores. Vnus est mediator Christus, inquit, quod solus pro omnibus, & nullus pro ipso intercedat.

Vnus Catholicis est mediator Christus, & quo sensu verè vnus.

Sicuti enim vnum habemus & prædicamus Saluatorem Christum Iesum, cui soli omnem debemus, acceptamq; ferimus salutem: ita & vnum prędicamus mediatorem Christum Iesum, qui solus Deum hominibus sui sanguinis pretio conci-

liat & placat,redditq; propitium.

Christi in suos liberalitas, qua suis suá impartitur gloriã honorisque vocabula.

Sed tanta est Christi in suos fratres indulgentia, tanta liberalitas, vt præclarum illum saluatoris titulum, salua sibi singularis sui meriti prerogatiua (qui hanc originaliter solus habet) illis communicare non dubitauerit, non quidem imminuta, sed conduplicata sua gloria.

Roman. 11.

Audet enim D. Paulus Christi legatione functus ad ignotos sibi Romanos D. Petri iam pridem annos minimum decem discipulos scribere, ministerium suum sese honorificaturum, si quomodo ad æmulandum prouocet carnem suam, id est, Iudæos, & saluos faciat aliquot ex illis. Rursus suis scribit Corinthiis: Omnia omnibus se factum, vt omnes faceret saluos. Quid? quod & Timotheo author est, vt seipse, & alios quoque plurimos faciat saluos? hoc enim faciens, inquit, te ipsum σώσεις (qua etiam voce superioribus duobus locis vtitur) saluum facies, & eos qui te audiunt.

1. Corrinth. 9.

1. Timoth. 4.

An Paulus saluator dicẽdus, quia dicit se saluare Iudæos, & Timotheum se saluare?

Si D. Paulus citra omne proculdubio nefas aut piaculi culpam, nedum blasphemiæ iniuriam, audet scribere, velle se, immo & Timotheum, alios saluos facere, quod proprium est Do. Christi officium (vnde & salutare Iesu nomen Etymologo Gabriele Archangelo accepit) quid mirum, si & mediatoris, siue intercessoris nomen aliis simili vsitatæ phraseos tropo accommodetur? Non est aliud sub cælo nomen, quàm Christi Iesu, in quo oporteat nos saluos fieri: audet tamen Paulus scribere, conniti sese atque operam dare, vt omnes saluos faciat: immo disertè affirmat, Timotheum suis parentem præscriptis, se, adeóque suos auditores saluos facturum. An ergo sacrilegij reus Paulus proclamandus? an lesæ diuinæ maiestatis tenetur? an idololatriæ crimine sese alligasse & contaminasse censendus?

Matth. 1.

Actor. 3.

Sic & D. Iacobus, vt suos acriùs extimularet ad ardentius errantium fratrum in veritatis desertæ viam reuocandorum studium, docet: Si quis conuerterit peccatorem, inquit, ab errore viæ suæ, σώσει ψυχὴν αὐτοῦ ἀπὸ θανάτου, seruabit saluamque faciet animam eius à morte.

Iacob. vlt.

Pij saluant animas errantium fratrum, si quos reuocant ad mẽtis sanitatem.

An hic vllus tam reperiatur effrons, qui Diuo Iacobo Apostolo impietatis notam impingat, quod hominem vocat

animæ

animæ à morte ſaluatorem?

Quòd ſi lectiſſima illa diuini ſpiritus organa nemo ſuæ compos mentis tam nefario inſimularit crimine, quænam iſta, obſecro, eſt flagitioſa temeritas, totam Chriſti Eccleſiam Catholicam his Pauli & Iacobi exemplis nixam atque fulcam, ſuperſtitioſa, immo, ſi Chriſto placet, idololatrica hac vexare, proſcindere, condemnare calumnia, quòd cum Chriſti Domini iniuria plures admiſerit mediatores, plures habeat aduocatos, plures ambiat patronos ſiue interceſſores?

Non eſt impia in Chriſtum Eccleſia, quod Sanctos vocat interceſſores.

Certè ſi pari æquitate factum Eccleſiæ & Pauli accipiatur, nihilo plus pios offendit, quòd Catholici plures admittimus mediatores, patronos, & interceſſores, quàm quòd Paulus plures introducit ſaluatores.

Quod ſi quodam ſenſu verè, addo & piè, adeoque non ſolùm citra Chriſti contumeliam iniuriamve; ſed cum illuſtri ſuæ gloriæ incremento D. Paulus verè docet & ſe, & Timotheum alios facere ſaluos: cur non & ſimilem interpretationem in Eccleſiæ Catholicæ loquendi vſu benignè atque candidè admittimus? Quis enim tam eſt ſtolidè vecors, qui Paulum exiſtimet aut ſe, aut Timotheum potuiſſe aliquem ſaluum facere extra, aut præter Chriſtum? an ſui oblitum exiſtimes, qui prima omnium ſuarũ epiſtola ſcribit: Fundamentum aliud nemo ponere poteſt, preter quàm, quod poſitum eſt, Chriſtus Ieſus?

Quod in D. Pauli excuſationem admittimus, æquitas poſtulat, vt candidè Catholicis viris cõdonemus.

1. Corinth. 3.

Quod ſi hoc ſalutis æternæ iacto fundamento Chriſto Ieſu Saluatore vnico, non fuit impium alios inducere ſaluatores, ſed non ſine Chriſto, immo qui omnia non niſi per ſolum Chriſtum, & ex Chriſti nomine, eiuſq; ſolius auxilio agerent, quæ ad aliorum ſalutem promouendam pertinere videbantur: quænam iſthæc, obſecro, Chriſtiana fuerit benignitas aut candor Euangelico pectore dignus, proptereà Catholicam Chriſti Eccleſiam impietatis, immo idololatriæ accuſare, quod alios admittat apud Deum Patrem aut mediatores, aut interceſſores, ſed qui ſub Chriſto, immo ex vnius Chriſti beneficio nacti ſunt, quod apud Patrem aliquid non ſuo proprio merito, ſed tantùm precario per Chriſti nomen ac meritum valeant?

Si adſit iudicij cãdor, facilè inter Eccleſias optatiſsima ſarciatur concordia.

Chriſto gloria ſua non detrahitur, ſed illuſtratur per Sanctorũ honores.

Non

Non enim Christo mediatori vnico atque singulari hisce mediatoribus sua detrahitur, aut tantillum imminuitur laus, non meritum extenuatur, non dignitas diluitur, non eius gloriæ obstruitur: sed saluum suum ipsi à Catholicis cum D. Paulo relinquitur officium: sartum tectum ipsi conseruatur singulare illud suæ gloriæ prærogatiuum: quòd sicuti est solus Saluator, qui per se, nullo alterius, sed sui proprij sanguinis merito omnes saluat; ita solus est mediator, siue intercessor, qui nullius eget ope, nullius nititur merito, nullius indiget patrocinio. Cùm autem aliis aut mediatoris, aut patroni, siue aduocati nomen piè tribuitur, lógè alio sensu id fieri est perspicuum: nimirum qui Christi merito nixi, beneficióque fulti, eius tantum liberalitate aliquid possunt, eius donatiuo mirificè exornati aliquid apud patrem clementiss. nobis per ipsum impetrant. Ille iustissimo sui sanguinis merito homines patri conciliat: hi tantũ precariò. Ille iure postulat, isti per Christi gratiam Patris benignitati supplicant, quę per Christi vnius pretium, non istorum propriè meritum, quod aliis ambiunt, donat. Non enim illi, sicuti & nos, nisi in nomine Christi petunt, siue patri supplicant, fratrum suorum caussa.

Quonam sensu vnus & singularis mediator Christus, & Sancti mediatores.

Christo gloriosius est per suos etiam posse cõmilitones aliis succurrere.

Vnde ex horum mediatorum siue intercessorum officio adeò Christi meritũ non obscuratur, vt illustretur magis, dum non solus ipse apud Patrem suum omnia potest, sed suos quoque fratres, quod ipse valet suo merito, vult valere suo nomine petentes: immo suo solius merito nitentes, idque non post hanc tátùm vitam, sed in hac etiam peregrinatione longè miserrima.

Omnia in solius Christi nomine petuntur & donantur à Deo etiam quæ per Sanctos petuntur.

Ipsequidem nostræ fidei Apostolus & Pontifex vultui Dei semper apparet, vt interpellet pro nobis, si Paulo credimus, iubet tamen idem Paulus & nos mutuas pro omnibus facere apud Deum interpellationes, assiduasque fundere preces, vt omnes salui fiant.

Hebr. 3. & 4. & 9. Romano. 15. 1. Timoth. 2.

Quod si huic Christi officio, propter quod in cælum assumptus est, non repugnat quod Paulus Dei spiritu plenus iubet, quia in Christi suo sanguine, suæque passionis sanctissimę merito interpellantis pro nobis nomine interpellamus, atque pro nobis mutuum oramus; ecquur, obsecro, mediatoris, siue inter-

Hebr. 9. Officiũ Christi Paulus hominibus piè tribuit, cur non & nomen igitur?

tercessoris vnici aduersetur officio, si plures eius liberalitate hoc donati munere in ipsius nomine pro fratribus intercedunt, aut mediatores apud Deum agunt? Si & filiorum Dei, immo ipsum Dei nomen, Christo & teste & interprete, hominibus citra Christi, aut Dei iniuriam communicatur: quid mirum, si Christi propria antitheta hominibus verè ipsius fratribus tribuantur? Ego dixi, inquit, dij estis, & filij excelsi omnes.

Iohan. 10.

Psalm. 81.

Christi nomen & Dei nomen hominibus citra piaculũ aut Dei iniuriã cõmunicatũ.

An quis mirabitur, quæ ex accidente sunt, hominibus tribui, cùm quod ex natura ei congruit, aliis citra omnem contumeliam Dei ore, & Domini Christi interpretatione indubitatissima est communicatum?

Si tam veritatis, quàm contentionis essent quidam studiosi, nullo sanè liceret negotio istud dissidium, aliaque planè omnia consopire: cum nulla hic reperiatur rerum diuersitas. Cur enim non pari æquitate admittamus simili loquendi modo plures mediatores siue intercessores, sicuti admittere cogimur ex Pauli doctrina plures intercessores, plures interpellatores, addo & plures adeò saluatores? sed suo, vti diximus, peculiari quodam pio sensu, dudum explicato: nimirum vt omnia in vno Christo, & per solum Christum fiant, qui vnus est Saluator & interpellator, sicuti & intercessor siue mediator proprius per se originalis, veréque sic dixerim, salutis & intercessionis omnis fons & singularis scaturigo.

Cãdor tãtũ desideratur ad dissidia controuersiarum componenda.

Certè nisi logomachias amarent aduersarij, non tantoperè hic optatæ piis omnibus concordiæ resisterent. Nam si vocum captare libet pondera, sicuti Christus mediator est, ita & sese pro nobis patrem promisit rogaturum. Iam cùm aduersarij Sanctos profiteantur Confess. suæ Augustanæ Apologia pro nobis rogare siue orare, cur non & pro nobis interpellare? Prætereà & hoc largimur (inquit Apologia, fol. 92. b. quod Angeli orent pro nobis. extat enim testimonium Zachar. 1. & cæt. De Sanctis & si concedimus quod sicut viui orent pro Ecclesia vniuersa in genere: ita & in cælis orant pro Ecclesia: An igitur Sanctos pro nobis Deum interpellare isti negarint? An, si qua illis frons est, Sanctos Deum pro nobis interpellare iniurium Christo dixerint? Certè illos orare pro nobis Deum pio quodam sensu nobiscum Confessionistæ non degeneres

Asystatõ aduersariorum.

Confes. Augustana concedit Sanctos in cælis pro nobis orare Cur non igitur & simili phrasi pro nobis interpellare, ac quosdam agere mediatores?

profitentur co cordicer. An istud alia de causa verè docent, quàm quia aliter Christus pro nobis orat, aliter Sancti? Quod ergo verum discrimen in vna agnoscunt orandi voce, cur non item & in altera intercedendi, siue interpellandi? Sanè vt peculiari sensu quodã pro nobis Sancti Deum aliter orant, quam Christus; ita & alio sensu interpellant, & quosdã apud Deum agunt mediatores. Quòd si candidè doctrinam Ecclesiæ Catholicæ accipere non dedignarentur aduersarij, nulla superesset dissidij occasio, quemadmodum luculentissimo huius controuersiæ exemplo non fuerit abs re pio lectori fusius ostendisse. Siquidem non ignobiles Confessionistarum Theologi Tubingẽses VVilhel. Bidenbacchius, & Lucas Osiander, cũ in animum induxissent Theses Theologicas Academiæ Dilinganæ, à piis & doctissimis viris societatis Iesu propositas suo maledico magis, quàm erudito sub Brentij sui commẽdatione scripto oppugnare, ingenuè profiteri sunt coacti, Timotheũ & Paulum veros quosdam esse suorum auditorũ saluatores: sed D. Virginem Mariam saluatricem dicendam negant, verum quanam id ratione initio negent, & quo sensu posteà eodem foliculo affirment, posse dici seruatricem, mox dicetur copiosius.

Brẽtius cũ suis Tubingen. fatẽtur D. Paulũ & Timotheũ quosdam esse populi Dei saluatores.

Incogitantia & inconstãtia Brẽtij, Theologorũque Tubingen.

Audiamus igitur grauissimas istorũ Tubigen. Theologorũ rationes à Iohan. Brentio præfatione nõ Theologica, sed Theonina comprobatas: quibus vt nostram Catholicorum statuũt doctrinam; ita suorum Confessionistarum argumenta, hoc libro Cæsareo comprehensa liquidò euertunt, certamq; ad concordiam Ecclesiarum nobis struunt viam. Causam igitur cur Timotheus rectè ac verè dicatur suorum auditorum saluator, reddituri, sic aiunt: Nam doctrina Euangelij, si incorrupta sit & diligenter doceatur, tum docentem, tum audientem, si fide eam amplectantur, & in ea persistant, saluat: adfert enim Christum, & in Christo thesaurum omnium cælestium bonorum, remissionem peccatorum, iustitiam, pacem conscientiæ, lætitiam spiritualem, & denique salutem æternam. Saluatores igitur dicuntur Apostoli, & omnes fideles ac synceri ministri Euangelij, nõ à personis suis, sed à ministerio prædicãdi Euangelij, quod est ministerium gratiæ & salutis, & efficax organõ ad sa-

Paulus & Timotheus cur à Brẽtianis dicti saluatores.

ad ſalutem omnibus per hoc in Chriſtum credentibus. Ab hoc verò Euangelij prædicãdi munere, licet D. Virginem verbis diſertis excludant, ſubtexũt tamen. Quanquam ſi quis cõſideret piiſſimum illud canticum Mariæ, in quo ſuo modo & pro ſua vocatione Euangelion prædicat, non repugnabo ſi quis eam dicat per hoc canticum multos homines ſaluaſſe, vt ita, ſi candidè & citra calumniam intelligatur, Maria poſſit dici ſeruatrix, nõ ſua perſona, & propter ſua merita, aut propter ſuam interceſſionẽ: ſed per ſuam doctrinam, quã Spiritus ſanctus per os ſanctiſſimæ virginis, de immenſa gratia & veritate Dei in promittendo & exhibẽdo Chriſto ſonuit. Eſt enim canticũ Mariæ totius doctrinæ propheticæ & Apoſtolicæ eruditiſſimum cõpendium. Audis hic, lector Chriſtiane, non modò Apoſtolos & D. Timotheũ, omneſq; fideles miniſtros dicẽdos eſſe ſaluatores: ſed & D. Virginem Mariam poſſe dici ſeruatricem ſiue ſaluatricem, quod per ſuũ illud Euangelicum canticum multos, aiunt, ſaluauerit homines. Sed iſtud candidè & citra calũniam cauti Theologi accipiendũ cauent, ſeduloq; lectores admonent. Præclarè ſanè. Quidni igitur eodẽ candore & vos vtimini in aliis Chriſti Do. encomiis, aut epithetis in eandẽ D. Virginẽ, alioſúe ſanctos pio ſanè ſenſu tranſlatis? Sed propter doctrinam, inquiũt fol. 160. nõ propter ſua merita, aut propter ſuam interceſſionẽ dicenda eſt, ſi candidè accipiatur, ſaluatrix. Sed cũ eam pro nobis orare fateamini in Cõfeſ. Auguſta. apologia, cur nõ & propter eius pro nobis orationem dicenda eſt ſaluatrix? an oratio nullas ſalutis aliis per Chriſtum afferendæ partes habere dicenda eſt? an non oratio eximiè aliorum iuuat, fouet, promouet ſalutem? Certè ſi per aliorum orationem, ſicuti & per doctrinam & prædicationem, aliis contingit ſalus, non minùs D. Virgo Maria ſaluatrix erit dicenda propter ſuas pro Dei populo pias precationes, quàm propter ſuum illud Euangelicum Canticum, per quod agnoſcitis eam multos homines ſaluaſſe. Vnde & pronunciatis D. Mariam poſſe dici ſeruatricem atque ſaluatricem, modò id candidè atque citra calumniam intelligatur. Quod veſtris in verbis tanta cautela admonetis obſeruandum, cur obſecro vos ipſi in aliorum verbis non obſeruatis? Si candor vobis eſſet

Aſyſtatõ Brentianorũ, probãt nunc, quod dudũ ipſi improbarũt, nobiſq; ceu piaculũ exprobrarunt, D. Virginem Mariam poſſe dici ſaluatricem aiunt Brentiani propter doctrinam, non propter interceſsionem.

Brentiani ſeſe omneſq, fideles verbi miniſtros docẽt eſſe populi ſaluatores.

Si oratio Mariæ noſtrã promouet iuuatque ſalutem, ſicut eius doctrina, etiam ſaluatrix dicẽda eſt propter interceſsionem.

 Euan-

Euangelicis vestris non pectoribus, sed nominibus dignus, idem profecto aliis faceretis, quod vobis factum velitis.

Pari candore si aduersarij nostra accipiāt verba quo sua innonent accipiēda, facillimè coëat Ecclesiarū concordia: quæ inuidis discerpitur Confessionistarū calumniis.

Quando igitur Catholici docemus, Sanctos esse pro nobis intercessores & mediatores, quidni illius vestri & hic meministis candoris; liuidæ omnis obliti calumniæ? Quam si animis vestris semel deponeretis, indubia mox Ecclesiis redierit concordia.

Tituli & encomia Christi propria pio quodam sensu, idq; ad eius gloriam Sanctis tribuuntur.

Cognito enim, quòd D. Virginem, aliosque Sanctos præclaris Christi Domini elogiis ornamus, non in eius contumeliā, sed ad illustriorem gloriam: neque eundem honoris gradum, aut dignitatis pondus habent, quando Christo Do. illa tribuuntur encomia, & ad eius Sanctos pio quodam sensu transferuntur: ecquid vetat, precor, quo minùs optata Ecclesiarum sarciatur concordia? At vt spes nostra dicatur Maria, inquitis, quomodo impio illo & insalutari Salue Regina salutant, horret animus cogitare, nedū lingua eloqui. Spem enim nostram dicere non possumus, nisi simul etiam Deum nostrum dicamus. Bona verba, queso, viri Euāgelici. Cur hic candoris vestri, quem ab aliis vobis postulatis, nunc estis obliti? an D. Mariam dicere audetis saluatricem hominum; & spem hominum eandem cogitare animus horret? ô viros religiosos! Absit liuidus calumniandi animus, absit inuidus discordiæ spiritus: Adsit verò eadem vtrobique pietas, idem candor Euangelico pectore dignus. Ecquur, obsecro, impium magis fuerit D. Virginem appellare, pio vtrobique sensu quodam, spem nostram, quàm saluatricem nostram? Dauid habet, inquitis, Domine spes mea es tu! At habet Paulus, Deum esse saluatorem omnium hominum: & Dauid, Tu es Domine saluator meus & liberator meus.

Salue regina an canticū insalutare & impium, quia D. Maria salutatur spes nostra.

Vtrūq; est Dei encomion, esse hominū spem, & saluatorem. Si hoc pio quodā sensu Cōfessionistæ tribuūt Paulo & D. Mariæ: cur non & illud?

Vtrumq; igitur encomion cùm Dei verbum Deo asscribat, quænam vestra est impietas, alterutrum homini tribuere? Si impium est, hominem facere spem nostram; cur non vos bis impij, qui Paulum disertè facitis saluatorem, & D. Mariam saluatricem?

An non igitur phanatico raptamini spiritu, qui alterū D. Virgini, pio veroque sensu asscribi docetis, alterum piè tribui non toleratis? Sed illud tribuendum docemus, inquiat Brentius

tius cum ſuis, modò candidè & citra calumniam intelligatur. Cur non vtrumque, viri boni, pari candore accipitis? cur non vtrobique calumniandi ſtudium exuitis? Profectò ſi candidè accipere velletis, quod pio illo, vereque ſalutari Salue Regina cantico iam ſecula permulta canit Catholica Eccleſia, nõ eſſet quod animus horreret cogitare, nedum lingua eloqui. Nullus tam eſt Chriſtiani ſui nominis oblitus, vt apud D. Irenæũ legens, D. Virginẽ Mariam eſſe matris Euæ aduocatam: item eſſe noſtræ ſalutis cauſam; exclamet, eam à viro ſanctiſs. impiis & inſalutaribus ornatam elogiis? D. Athanaſius eam vitæ matrem, Gregor. Niſſenus vitæ parentem appellat in Comment. Euangelij cathenæ nomine æditis. Hæc eius encomia, ſi candidè, ſi citra calumniã, ſi denique Chriſtianè, non animo Iudaica aut Turcica inuidia cæco & contabeſcente, apud D. Irenæum Apoſtolorum diſcipulum, alioſque pios illos ſcriptores legimus; cur non & apud D. Effrem Virginem Mariam ſpem deſperantium candidè dictam intelligamus? Cur non & ſpem noſtram ſolenni illo cantico piè ſalutari accipiamus? Quid? quod eam Nazianz. nõ modò πρέσβιν aduocatam interpellat, vt pro ſe filium oret, ſed obſecrat etiam vt ſibi ſemper ſit apud filium ſalus maxima? κἀμοι μεγίςη πανταχοῦ σωτηρία.

Parem candorẽ poſtulat oratio Eccleſiæ, Salue Regina ſpes noſtra, quem illa, qua Confeſſioniſtæ fatentur, D. Virginẽ hominum ſaluatricem.

D. Virgo Euæ aduocata Irenæo lib. v. & cauſa ſalutis. li. 3. c. 33.

D. Virgo vitæ mater Athanaſio. fol. 638.

Vitæ parẽs Gregor. Niſſæ.

Spes deſperantiũ D. Ephrem.

Aduocata & Salus Nazianz. in Tragœdia.

An etiamnum, Brenti, animus tibi horreat cogitare, aut lingua nobiſcũ eloqui, D. Virginem Mariam eſſe ſpem noſtram? an nunc Brentiani, cum D. Effrem piaculum vobis fuerit, eam dicere ſpem deſperantium? an cum D. Irenæo, D. Athanaſio & Niſſeno eandem vitæ matrem, Euæ aduocatam, ſalutis noſtræ cauſam appellare atque interpellare?

Si cum illis Orthodoxis Patribus vobis videmur impij, videte ne vos totus Chriſtianus orbis meliori iure dicat impios: immo inſulſos, bardos, abſurdos & prophanos, aut potius phanaticos. Quænam enim fuerit ſtolida iſtius ingenij proteruia, rigidáque peruicacia, aut verius animi vecordia, ſuis in verbis deſiderare lectoris pij candorem: & eundem piis Orthodoxis negare Patribus?

Arrogantia & contumacia aduerſariorum.

Soliciti admonetis, vt citra calumniam accipiatur, quòd vos non modò D. Virginem appellatis, rationeque iuſta verè facitis hominum ſaluatricem, atque adeò vos ipſos iactatis homi-

num ſaluatoris; dum hoc encomij omnibus indiſcriminatim tribuitis fidelibus ac ſinceris verbi miniſtris, quorum vos facile exiſtimatis, qua faſcinati eſtis philautia, principes: & dũ Catholici, quod minùs eſt D. Virgini exemplo patrum Sanctiſſi. tribuimus, veſtri obliti candoris, omniſque humanitatis nos facitis impios. Quis hic in vobis nõ deſideret iudicij æquitatẽ, piumque candorem viris Euangelicis dignum? haud ita vos inſanire opinor, vt D. Virginem putetis nos appellare ſpem noſtram, quaſi citra eius opem, aut meritum ſaluari nequeamus.

Brentiani ſeſe iactãt hominum ſaluatores, & nobis indignãtur, audimuſque impij & ſacrilegi, quod D. Virginem exemplo SS. Patrum ſalutamus ſpem noſtram.

Iſtud priuilegij ſingulariſq; elogij vni Chriſto Do. aſſcribimus. Sed vt apud Dauidem Chriſtus Do. Apoſtolis interpretibus Iudam ſuum proditorem appellat ſpem ſuam; homo pacis meæ, inquit, in quo ſperaui, quod eius opera vtendum ſibi ſtatuerat in Euangelij (quod per triennium fideliter magniſq; miraculis plantauit) prędicatione: ita & nos cum D. Ephrem D. Virginem Mariam compellamus ſpem noſtram, non à qua ſola, aut etiam præcipuè noſtra veniat, nedum pendeat, ſalus; ſed quæ ſuis eam promoueat orationibus, piiſque apud filium interpellationibus ſatagat adiuuare.

Iudam Apoſtolum fuiſſe quõdã Chriſto Do. illo dignitatis loco, vt in illo ſperarit.
Pſalm. 53.
Hiero. 2. contra Iouin.

Sed miſſos nunc faciamus iſtos ſuo cum Semiconfeſſioniſta Brentio Tubigen. Theologos, ac de mediatoris vocabulo, de quo rixantur acriùs Anonymi noſtri Confeſ. Auguſtanæ Apologetici, aliquid in medium adferamus, an piè ſanctis Dei hominibus hóccine encomion tribuatur?

Videamus igitur an non & Patres vetuſtiſſimi ad Pauli exẽplum vocem mediatoris, ſiue aduocati ſanctis Chriſti martyribus, ſiue electis Dei amicis piè iuxtà ac verè tribuerint; ſed eo, quem diximus ſenſu minùs proprio, ſicuti & Paulus ſe atque Timotheum plurimorum facit ſaluatorem, vnde illa vltrò euaneſcet cauillatio, quam poſt Scripturas aliquot præclari iſti Confeſſioniſtarum Patroni ad fictitiam ſuam antitheſin ſtabiliendam confingunt, quod & Patres (inquiunt) non alios præter vnum agnoſcunt mediatores.

Sancti pio quodam ſenſu ſunt mediatores, ſicuti interpellatores ſiue interceſſores.

D. Baſilius Epiſtola ad Iulianũ A. Apoſtolos, Prophetas, martyres appellat mediatores. Qui pro me, inquit, apud Deũ ſupplicãt, quo per illorũ mediationem propitius ſit Deus noſter. Sic & Gregor. Nazianzenus Diuum Baſilium epiſtola ad Simpliciam

Extat Concil. 2. Niceno.
Baſil. Apoſtolos facit apud Deũ pro nobis mediatores.

plicîam, τὸν τοῦ θεοῦ καὶ ἀνθρώπων μεσίτην Dei atque hominum vocat mediatorem. D. Ambroſius Martyres dicit interceſſores, lib. de Viduis. Non erubeſcamus (inquit) eos interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere. dixerat enim & angelos, & Martyres obſecrandos, quorũ videmur nobis quoddam corporis pignore patrociniũ vindicare. Quid, quod D. Iren. lib. v. D. Virginẽ Mariam Euæ virginis docet aduocatã: ſed alio quodam, vti equidem arbitror, ſenſu, quàm martyres D. Auguſtinus & Prudentius appellant patronos: quorum opera apud Dominum adiuuemur.

Nazianzeno Baſilius mediator. D. Ambroſ. martyres interceſſores apud Deũ.

D. Maria aduocata & SS. martyres Patroni & interpellatores. Auguſt.

Neque orare tantum docet Auguſtinus Sanctos pro nobis, ſed interpellatores etiam facit. Omnes enim martyres (inquit homil. in Pſal. 85.) cum Chriſto pro nobis interpellant.

Hæc D. Virginis matris, aliorũq; ſanctorum encomia & huiuſmodi alia ex illa, quã Paulus docet ſanorum verborum formula ſunt piè atq; candidè accipiẽda. Sicut & quæ apud Gregor. Nazianz. in virginis laudem multo maxima reperiũtur. In epilogo tragœdiæ ſuæ Chriſtum orat, vt pro ſe ſupplice matrem Virginem vna cum Apoſtolis admittat aduocatã, πρέσβιν ſiue legatam & mediatricem. πρέσβιν δέδεξο μητέρα σὴν ἀλόγου σφᾶς θοῖσ' ἔδωκας δεσμολύτιν σου χάριν.

D. Virgo Maria Nazianzeno eſt πρέσβις aduocata & legata apud filium. Vitæ præſidiũ.

Rurſus paulò poſt etiam facit vitæ præſidem.

ἀεί σε προστάτην παντὸς βίου,
καὶ πρέσβιν εὐπρόσδεκτον εἰς τὸν υἱέα.

Deinde in hymno Chariſterio, vbi D. Virginem ſalutaſſet Reginam & χάρμα τοῦ γένους, gaudium humani generis, mũdique delitias adtexuit.

Regina mundi gaudium, delitiæ mortalium.

ἀεί ποτε εὐφρονοῦσα τυγχάνους γένει
κἀμοὶ μεγίστη πανταχοῦ σωτηρία.

Salus maxima apud Chriſtum Dominum.

Quod doctiſ. expreſſit D. Franciſ. Fabricius Ruremũdanus.

Semper benignam tum te exhibe mortalibus,
Mihique ſis S A L V S *vbique maxima.*

Cùm igitur perſpicuum ſit Catholicam Chriſti Eccleſiam horum Sanctiſſ. Patrum exemplo non impiè, nec temerè nedum ſacrilegè, aut idololatricè Sanctos Dei ſeruos, & Chriſti martyres appellare mediatores, patronos, aduocatos, interceſſores, mera eſt calumnia quod delecti Confeſſioniſtarum

propu-

propugnatores Catholicis hoc loco exprobrant contumeliosissimè, ipsos contra Scripturam & Vet. Patrum doctrinam docere, etiam sanctos mortuos intercedere pro nobis apud æternum Patrem: quod enim adtexunt de ipsorum meritis & suffragiis, ad proximum pertinet caput, vbi pertractabitur aptiùs.

Non colimus mortuos vti exprobrant Iuliani Apostatæ discipuli apologetici.

Cæterùm quod aiunt, nos docere Sanctos mortuos pro nobis intercedere, veterem illam Iuliani Apostatæ (quem Confessionistæ vt apostasia, ita & loquendi formula æmulari malunt, quàm veterum Orthodoxorum Patrum chorum) sapit blasphemiam. Nos verò Euangelij Christiani discipuli Christum, vti diximus dudum, non Iulianum, non Vigilantium, non Antichristorum aliquem imitantes, Sanctos viuos, non mortuos (cum nõ sit noster mortuorum Deus) viuos, inquam, Sanctos maiorum vestigiis insistentes, immo Pauli verbis doctrinęque Apostolicæ fidem habentes. credimus, & cõfitemur pro nobis orare, interpellare, immo & mediatoris quasdã partes agere. Neq; verò istud vlla Christi Do. fit cum iniuria, sed summa eius, vti dudum est declaratum, agitur gloria; quia nõ officij ipsius singularis partes inuadunt, quippe fons & origo solus est, atque solus totius salutis, intercessionis, & piè pro nobis interpellationis manet fons, à quo illi dono & impartitione Christi habent, quod valent, aut precariò impetrant, quia per Christum, & in eius nomine.

CAP. X. Respõsio ad loca Scripturarũ.

QVO sensu si rigidi isti Confessionistarum Patroni vellent cãdidè accipere, quod Catholici hac in cõtrouersia Vet. Patrũ exemplis docti, verbis eruditi, eisdem loquendi formulis vsi profitemur, facilis esset concordia. Quod enim ex D. Iohanne citant, Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, nos planè admittimus: immo solida fide credimus, Iesum Christum esse vnicum aduocatum, quia vnicus est agnus Dei, qui tollit peccata mundi, siue qui solus est propitiatio pro peccatis nostris, per quem solum omnis salus, omnis exoratio, omnis denique bonorum omnium impetratio.

Testimonia Veterum PP. nostram stabiliũt doctrinam.

Quam nostram Catholicam doctrinam cùm testimonia à Confessionistis ex D. Augu. & D. Leone adducta liquidò contineant, adeò illam nõ oppugnant, nedum expugnant, vt confirment solidiùs. Quod enim ex Augustini Cõfessionibus adducunt,

ducunt: Quem inuenirem, qui me reconciliaret tibi? an „
eundum mihi fuit ad Angelos? si quo scopo D. August. scripse „
rit, consideretur, nihil Catholicæ obsistit doctrinæ. Ex subiectis enim continenter verbis liquet, de quali agat D. Augustinus mediatore: puta de illo proprio, qui suo vnius sanguine homo & Deus, Deum Patrem homini iratum conciliaret, atque propitium redderet: siue vt Agustinus loquitur, qui solus pro omnibus, & nullus pro ipso intercedat, quemadmodum fusius contra fastuosos declarat Donatistas libr. 2. contra Permenianum cap. 8.

Qualis D. August. vnus mediator: qui tamen sanctos fatetur interpellatores & patronos apud Deú.

Talem mediatorem cùm oporteat fuisse & Deum & hominem, rectè August. negat se inuenire, qui ipsum Deo reconciliaret. Certè neque Catholici alium vllum, præter vnum Iesum Christum agnoscimus, credimus, colimus.

Sed cum D. Augustinus, aliique Patres Vete. Sanctos inuocant, vt se apud Deum adiuuent (vti Cyprianum Augustinus lib. 7. c. 1. de baptismo) item docet nos sanctorum orationibus, (Augustin. contra Faustum 20. cap.) adiuuari & meritis consociari. Iram Dei (Chrysost. homil. in Genes. 43.) placari illorũ intercessionibus: mediatores quosdam illos agnoscunt, sed inferioris vt loci, sic & meriti, dignitatis atque gradus minoris, quia precariò per Christum, & in Christi nomine.

Quam Augustini aliorumque Patrum Orthodoxorum doctrinã, si Confessionistæ candidè atque ingenuè maluissent hic commemorare, quàm agnitam dissimulare; non illum Augustini locum alterum ad alteram Catholicorũ calumniam subtexuissent. Etsi fratres, inquit, pro fratribus morimur, nul- „
lius tamen sanguis martyris in fraternorũ peccatorum remis- „
sionem funditur. „

Quis enim Catholicos sic docere tradit? quis eos affirmare testatur martyrum Christi sanguinem in remissionem peccatorum fratribus esse fusum? Hanc enim gloriam vni Christo redemptori, liberatori, saluatori solidam vindicamus. Illius enim solius sanguis, est mundi reconciliatio, peccatorum remissio, delictorum omnium abolitio: quemadmodum D. Leonis verba allegata disertè nobis suffragantur. hoc posito, audet tamen Augustinus docere, sanctorum nos

adiuuari precibus, meritiſque ſociari. Vnde & Cyprianum inuocare non dubitat, vt ſe apud Deum adiuuet, immo vbi Chriſtum docuiſſet adhuc pro nobis interpellare, continenter ſubiunxit, omnes martyres qui cum illo ſunt, inquit homil.in Pſal. 85. interpellant pro nobis.

Sācti omnes cū Chriſto Deum pro nobis interpellant.

Auguſtin. in Pſal. 85.

Porrò quod ex lib. 4. D. Auguſtini ad Bonifacium cap. 4. adtexunt (& ſi ad ſequentē pertineat propriè controuerſiam) nihil Catholicæ aduerſatur doctrinæ; cùm D. Auguſtinus illic non de Sanctorum interceſſione, ſed contra Pelagianos agat, qui nefariè docebant, ſolam mortem in nos per Adamum tranſire ſine culpa, quod vt doceat D. Auguſtinus eſſe longè abſurdiſſimum, demonſtrat Catholicam fidem iſtud ſingularis prærogatiuæ ſoli Chriſto Domino tribuere, vt ſine mortis meritis mortem pro nobis paſſus ſit indebitam: pueros autem ſi ſine peccati culpa naſcantur, quod illi impiè affirmabant, iniuſto iudicio innocentes puniri mortis pœna. In huius rei cōfirmationem adfert D. Auguſtinus verba à Cōfeſſioniſtarum defenſoribus illis delectis pręposterè recitata, & contra nos obtorto, quod aiūt, collo detorta. Sicut enim Dei filius ſolus, ideo factus eſt hominis filius, vt nos per illum Dei filij fieremus: ita ſolus pro nobis ſuſcepit ſine malis meritis pœnam, vt nos per illum ſine bonis meritis conſequeremur gratiam. Quod autem Confeſſioniſtarum Patroni legūt, Indebitam gratiam, non eſt in noſtris codicibus; quod exaggerandi gratia de ſuo adieciſſe videntur: ſicut & illud, Ideo, data opera omiſiſſe. Verùm qui ſententiæ huius vim animo perſpectam habet, videt nihil prorſus ad rem, de qua agitur, pertinere.

Addunt de ſuo verbis Auguſtini Cōfeſſioniſtæ & auferunt ſua pro libidine.

Quid enim iſthæc D. Auguſtini verba contra Sanctorum interceſſionem faciunt, quæ liquidò demonſtrant, Chriſtum ſolum indebitam paſſum eſſe mortem ſine vllis malis meritis, vt nobis indebitam daret vitam? Porrò D. Auguſtinum vna cum Chriſto Domino plures quodam ſenſu pio admiſiſſe interceſſores ſiue interpellatores, non ſolū inde coniicitur, quod affirmat homil. in pſal. 85. omnes martyres docens pro nobis interpellare: ſed diſerta etiam voce D. Cyprianum interpellans vt ſuis orationibus (vti dudum recitamus ex cap. 1. libr. 7. contra Donatiſt. de bapt.) ſe apud Dominum adiuuet.

Liquet

Epilogus. III. Antitheseos.

Liquet ergo ex ſuperioribus, Chriſtum DO. vnũ eſſe apud Deum Patrem mediatorem, ſicuti & ſaluatorẽ. Sed ſicuti minùs propriè, licet verè, Paulus ſe & Timotheum dicit alios ſaluos facere; ita & minùs propriè, verè tamen atque piè, Catholica Dei Eccleſia ſanctos ex Orthodoxorum PP. præſcripto, perpetuoque Eccleſiarum vetuſtiſſimarum conſenſu docet quodam pio ſenſu mediatores, aduocatos, & interceſſores; ſed longè alio & minus auguſto, quam Do. Chriſtum. Quemadmodum & Confeſſioniſtarum Theologi Tubingenſes, ipſéq; adeò Brentius ſanctos faciunt in Apologia pro nobis oratores ac deprecatores, & D. Virginem ſaluatricem, quia multos, inquiunt, ſaluat, ſi candidè ac citra calumniam intelligatur. Certè ſic & Moyſen D. Paulus facit mediatorem, ſed alia in materia. Vnus ergo Chriſtus eſt mediator, qui ſuo iure, ſuo ſanguine, ſuo denique redemptionis noſtræ appenſo pretio nos patri irato reconciliat; qui nullius opera eget: cuius opera omnes egent, etiam ſancti omnes: quo niſi intercedente (vti ait D. Ambroſius nobis conſentaneè) nec nobis, nec ſanctis omnibus quidquam cum Deo eſt. In quem ſenſum alios admittere aut mediatores, aut interceſſores, nefariæ fuerit impietatis: quam vt omnis Catholica hactenus execratur Eccleſia, ita priſcis Orthodoxorum Patrum ſuorum inſiſtens veſtigiis pio quodam ſenſu, ſi candidè atque citra calumniam accipiatur, ſanctos cũ Deo regnantes vocat & colit patronos, mediatores, & in Chriſti nomine apud Patrem cæleſtem pro nobis interceſſores.

Apologi onf. Aug. fatetur Sanctos pro nobis orare.

Brentiani ſuo ſcripto cõtra Ieſuitas agnoſcũt D. Virginẽ ſaluatricem.

CAP. XI.

Digreſsio ad miracula per Belgium ſuperiore illo graſſantium Goeſſeorũ anno 66. diuinit⁹ Iconomachis inflicta quæ certam demonſtrãt diſſidentiũ hac de doctrina Eccleſiarũ concilian-darum rationẽ.

QVAE hactenus pro pia, Orthodoxiſque olim omnibus Patribus ſemper vſitata ſanctorum inuocatione, ac religioſa imaginum ſacrarum veneratione & peregrinatione, pro legitima denique diuorum pro nobis apud Deum interceſſione diximus, eáque non modò Veterum PP. conſenſu, & eo perpetuo, ſed liquidis etiam, quod arbitror, ſcripturis confirmauimus, ſi candidè accipiátur, & ad fidei noſtræ Chriſtianæ analogiam intelligantur; nulli dubium fieri queat, quin in grauiſſimis hiſce 3. capitibus facillimè coëat pia, piiſque omnibus optatiſs. diſſidentium Eccleſiarum concordia.

Si enim Catholicæ Dei Eccleſiæ ſcopus, ac finis verè pius rectè cogitetur, quem in colendis ſanctis, iiſque ad auxilium à

Deo faciliùs impetrandum inuocandis ſpectat, liquebit eam nihil niſi Dei vnius gloriam quærere, nihil niſi vnius Chriſti noſtri ſanctorum omnium Domini honorem ſpectare.

Scopus venerationis ſanctis Dei hominibus attributæ, ſi piè conſideretur, cãdidéque accipiatur, facilè reſarciat Germaniæ ſectis nouarum opinionũ diſſectæ conciliationem.

Quemadmodum enim honor imagini exhibitus ad prototypon redundat, quod à D. Baſilio præclarè dictum eſt: ita ſanctorum inuocatio ſiue interceſſio non niſi ad ſolidiorem, plenioremque vnius Do. Chriſti gloriam facit: quam illa adeò non obſcurat, vt illuſtret magis. Non enim ſancti vlla ratione alia nobis colũtur, quàm quòd Chriſti Domini ſunt aut egregij martyres, aut præclari doctores, aut illuſtres deniq; confeſſores: qui cùm Chriſto Do. admodum grato ſeruierint obſequio, & per arctam illam in cælum deducentem viam ſint ſequuti perſtrenuè, promerita ſua laude ſimul & gloria nunc fruuntur, ipſis nobiſq; ad vnum omnibus à Chriſto ipſo promiſſa, Si quis mihi ait, miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus.

Hunc porrò Dei Patris honorem piis Chriſti miniſtris pręſtitum, ſi quis hac in veneratione, piáque inuocatione partim ſitum eſſe dixerit, nihil abſurdi dixerit. Ingens ſanè eſt martyrum Chriſti gloria, incomparabilis honor, quod ad ipſorum inuocationes, vt pro nobis vnà nobiſcum Deũ Patrem orent, nos tam benignè Chriſtus exaudit, quòd tam varia ſui ſpiritus confert dona, quòd tam illuſtria edit miracula, quæ vel cæcorum oculos in hunc vſque diem vibrant, impiorumque mentes vel inuitas perſtringunt.

Ex diuinis apud ſanctorũ tumbas vel oratoria miraculis certo ſtatuitur ſanctorum inuocatio & veneratio, teſtibus Bucero & Oecolampadio.

Hæc apud D. Auguſtin. Chryſoſt, Baſilium, Theodoretum, alioſque claſſicos ſcriptores extant illuſtriora, quam vt vel impudentiſſimi Cyclopes Theomachi inficias ire queant, adeò vt Oecolampadius & ipſemet Bucerus fateri compellantur, Veteres Orthodoxos Patres ad auxilium, piumq; patrocinium Sanctos inuocaſſe, religioſamque Sanctorum cùm Deo regnantium inuocationem non eſſe damnandam, vt impiam, nedum ſuperſtitioſam.

Cur hic cõmemorata noua Dei miracula dudum in Belgio illuſtria in furibũda Goeſſeorum Theomachia.

In quam ſententiam cùm iſtos Euangelicorum primipilos videam præclaris illis priſcis miraculis ad ſanctorum gloriam illuſtrandam diuina virtute olim factis; ſiue retractos, ſiue retentos: inſtituto noſtro minimè, opinor, alienum videbitur, ſi comme-

commemoraro quæ Chriſtus Dominus ad ſolidiorem Catholicæ fidei confirmationem, piorumq́; ſuorum fidelium ſanè afflictiſſimorum conſolationem ſæuiente ſuperioris anni Goeſſeorum tempeſtate apud Belgas facere eſt dignatus.

Vt enim iſta Barbarica in ſanctos calamitas omnem hiſtoriarum veterum (quod equidem memini, excepta Hugoniſtarum in Galliis tragœdia) vincit calamitatem Eccleſiaſticam: ita Deus Opt. tam illuſtria conſeruandæ piis ſuę religioni ædidit miracula, vt vel cum primis illis à D. Auguſtino in Chriſtianę fidei apologia, pro legitimo Sanctorum Chriſti cultu allatis comparari ſint longè digniſſima. Sicut planè incredibilis fuit impiorum hagiomachorum in Sanctos Chriſti crudelitas deteſtanda impietas, nefariáq; blaſphemia: ita ſingularia nunc apparuêre Dei Opt. beneficia, quibus veram, religioſam, & à ſe prognatam Sanctorum gloriam dignatus eſt illuſtrare.

Auguſt. de Ciuitate Dei, codex vera eſt Chriſtianæ religionis apologia: qua Sanctorum cultum tuetur.

Cùm per Belgiũ an. *66.* dira illa graſſaretur tẽpeſtas Goeſſeorum (qui vti à pudendo mendicabuli epitheto dicebantur, ſic omni ex ſectariorum atque factioſorum fece cõfluxerat fæda colluuies) inter varia Cacodæmonis ſtratagemata, quibus perſtrenuos ſuos commilitones præclarè nobilitauit, ſpoliiſq́; ſacrilegis paſſim ditauit; nõ defuêre Iconomachi & Hagiomachi. Iſti, aliis licet refragantibus, bellum venerandis etiã imaginibus indixêre: quo ſemel omnem Sanctorũ Dei memoriam abolerẽt, Chriſtumq́; Dominum è cordibus omnium prorſus delerent.

Goeſſeorum nomenclatura & fæda colluuies.

Hinc videre paſſim fuit (ô facinus nefarium, omnique ſacrilegio execrabilius!) ſacras imagines nõ modò Iudaicè illuſas, Turcicè exſibilatas, Paganicè deriſas: ſed impiis etiam cum lœdoriis, infandiſq́; blaſphemiis igni publico, ſpectante populi corona, partim ingemiſcente, partim applaudente, in foro medio iniectas. Excuſſo enim & Regis Catholici, & magiſtratuum iugo (vt ſolet interregno ferè, aut iuſtitio) quod quiſque hactenus variis ex iſtorum Euangelicorũ peſtibus clanculum hauſerat, & cautè texerat, venenum, vno quaſi cõmuni anhelitu efflarunt, & in Deũ ac diuos omnes fædiſſimè expuerunt. Alij enim Iudaicas illas apud Euangeliſtã eructabant blaſphemias: ſi tu es Chriſtus, ſalua te ipſum. Alij erectam Crucis imaginem

Iconomachiam quãta rabie paſſim aggreſſi.

Iuſtitium apud Belgas peperit & iuſtitiæ & religionis interitum.

Blaſphemiæ in SS. imagines Goeſſcorum voces Iudaicis nihil abſimiles.

ginem compellabant: Si te tuarum pœnitet fraudum, quibus nos ſeduxiſti hactenus, modò eloquere, en parcimus tibi: Sed quia taces, & nōdum pœnites, libera te, ſi quid potes, hac de flamma. Non defuère qui S. N. imaginem in medio quaſi tribunali collocatam acerrimè accuſarent, eiq; elingui bene linguaculum addidere aduocatum, qui cauſam eius velut idololatriæ ac impietatis in Deum reæ coram auditorio frequentiſſimo ageret.

v. Imago ad tribunal protracta impietatis accuſatur, ac ſilentio ſuo eam quaſi agnoſcens igni adiudicata concrematur.

Is cùm imaginis partes de induſtria ridiculè ac malè ageret, neque cauſæ ſatis patrocinaretur, imago ignibus iudicum ſententia addicta illuſtri dabatur foco, quo ſeſe plurimis cum blaſphemiis lepidi ac velut victores ouabundi refocillabant. Fuit etiam tā immanes & bis Barbaros iſthic Cycoples reperire, qui non contenti publica in Chriſti domini imagines confractionis & contritionis contumelia, ſuam etiam poſt declararint inuidiam pluſquam ſathanicam, aut veriùs dementiam pluſquam phanaticam.

Nefaria in Do. Chriſti lapidi inſidentis imaginem cōtumelia, quæ vel latronibus vulgo habetur indigna.

Poſteà enim quam v. imagini Chriſti Domini caput amputaſſent ſacrilegi, ſolemniq; ritu ad ictum quaſi carnificis, ludibundi acclamaſſent, non contenti caput trunco auulſiſſe, illud nō inter pedes decollati reponere, quod ſolet, dignabantur: ſed atroci etiam cōuitio maiorem, quam eſt furum, latronumúe improbitas, exprobrabant cōtumeliam, vnde & parti inhoneſtiſſimę ſubiecère ſacrilegi patricidæ.

Non deſunt oculati teſtes, qui ſacroſanctè affirmant, ſe vidiſſe, cùm venerandæ ſtatuæ Domini Chriſti de ſacello montis Caluariæ per feneſtram deiectæ, mutilę, ac ſemilaceræ magna impiorum corona inſultaret, ſathanicęque victoriæ læta applauderet, quidam vt ſuum in Chriſtū Dominum expleret, quo totus furebat, odium, in illam protinus inſiliit, ſuoq́ue cultello cæcus cęcam exoculabat imaginem. Certè dignus hac fuit amentis cæcitatis plaga, qui cæcis vſuris iam dudum Hagen. exhauſerat rempubl. Ibidem alius ex coryphæis quidam miniſterio Regis Anabaptiſtarum monaſterij non ignobilis, vbi tandem vaſtato D. Dominici monaſterio multos poſt labores D. Virginē, quæ ſolis, lunæque radiis ſplēdida in templis fulget, piorum ſtudio reconditam inueniſſet, vibrato gladio

Imagines quàm indignis modis apud Hagen. excarnificatæ.

truci-

trucidandis Sacerdotibus parato exclamans, En vobis, inquit, socij, duplex illa meretrix! in quam irruens caput dissecare conabatur, nisi gladius ictu rabido dissiliisset medius.

Hier is de dubbel hue re.

His aliisq; impiorum facinoribus, nefariisq; sceleribus per Belgium miserando piorum spectaculo grassantibus, nō prorsus defuit Dei Opt. manus vindex: quę vnum aut alterum sacrilegum tam insigni terruit plaga (quam hic ex plurimis recēsebimus, sicuti ex fide dignissimorum relatu accepimus) vt illorum exemplo non pauci aut resipuerint, aut saltem impia ab imitatione, vlterioreque sacrilegio manus abstinuerint parricidas.

Erat Busciducis sacellum D. Antonij nomine piis celeberrimum: quo rusticana plebs Deo Opt. sua fundebat vota, quæ D. Antonij precibus, pioque patrocinio ambiebat commēdatiora. Huc è vicinia quidam inuolant, imagines confringunt, altaria euertunt, sacra diripiunt, auratamque D. Antonij statuam fune alligatam ad rogum in compito cremandis SS. imaginibus structum seduli trahunt, suos commilitones anheli & alacres conuocant, vt secandæ ferant auxilium: nā integram ignis lędere non valebat; quod vbi certatim fieret, hic manus ascia truncabat, ille bipenni pedes putabat, alius caput malleo pulsat, alij denique trūcum securibus vexabant, postremò, vt suus fabulæ responderet colophon, lacera concisæ imaginis frusta in rogum multis, iisque abominandis in D. Antonium blasphemiis illis Iudæorum in Christum dominū crucifixum non absimilibus, proiectis, coniiciunt, sed frustra omnino. Venerandæ namque imagini, cui insana impiorum rabies non parcebat, ignis quasi adorabundus pepercit, flammaque venerabatur innoxia.

Qua pęna Deus Opt. suorū Sanctorum vltus sit iniuriam.

Verùm quid accidit? non sanè impune tulere impij. euestigio namque illa peste, quam D. Antonij iam olim appellamus Christiani (quòd illi depellendæ sint eius apud Deum pij experti persæpè patronum) corripiuntur, totóque vtriusque corpore instar granorū piperis, pestilens ille ignis ebullit: domum sese recipiunt infælices, quorum plaga socij deterriti, rogum deserunt trepidi.

Peste subitanea duo Goesseorū Coryphæi Busciducis euestigio percussi.

Tam atroci atque voraci consumebantur miseri totum per

corpus

corpus incendio, vt postridiè impiam efflarint animam, & funesta reliquerint cadauera variorum colorum stigmatibus, ceruleis, prasinis, atris insignita. Istud tam est tota vicinia notum, vt plurimos huius rei non solùm audierimus concorditer historiam ad viuũ depingentes, additis etiam tam sacrilegorum, quam familiarũ nominibus: sed publici etiam viderimus Notarij, fide non indigni, neque obscuri, testimonium.

Puerpera in D. Virginem blasphema horribili punita partu in Aspera opp. Hol.

Quod nunc secundo loco recitabitur, longè est horribilius: sed ita vindex Dei ira efflagitauit. Motibus illis eodem Goesseorum anno vixdũ exortis, muliercula quædam oppido Hollandiæ Aspera parturire cœpit: conuenêre vicinæ atque cognatæ; vbi illa eniteretur difficilius, & grauissimè non minùs quàm periculosissimè laboraret, vna circunstantium pio ex more puerperam admonet, vt D. Virginem Mariam inuocaret auxiliatricem. Cui illa, Quid mihi istam, inquit, dicis scrofam! Erat namque infœlix anabaptistarum deliriis capta, qui supra omnes ferè Diuos vnam illam sanctorum sanctam Deiparam Virginem Mariam execrantur, oderuntque infensiùs. Verùm quidnam acciderit, accipe. Pro maledicti blasphemia, fuit & Dei plaga, qua nefariam suæ matris vindicauit contumeliam. Actutum enim illa misera, quæ sacrosanctam Virginem Dei genitricem Mariam impuræ suis nomine blasphemarat, nigellas aliquot in lucem edidit, sed emortuas, suculas.

VVat segt ghy my van die soeghe! D. Virginẽ maledica scrofam dicit.

Puerpera in D. Mariã blasphema nigellas vno infœlici partu edidit scrofulas.

Vnum hoc exemplum, vt Catholicam nostram de pia Sanctorum inuocatione doctrinam solidè iuxta ac liquidò confirmat: ita insanam istorum sacrilegorum Iconoclastarum & Hagiomachorum euertit Theomachiam. Quod aduersarij cùm probè haberent perspectum, collecta his super gestis informatione, productaque testium, quam vocant iurisperiti, turba, rem lõgè verissimam & in vulgus notissimam suo percallido frustrà conabantur obruere mendacio. Illos enim testes audire non dignabantur, qui de paradoxi huius puerperij monstro comperta, visaque dicere potuissent, vti ex ore Notarij N. fide dignissimus nobis narrauit, aliis plurimis audiẽtibus. Lepidum verò illud, nec minùs salsum, quod in istos veritatis hostes dictitabat Notarius. Cùm enim varios con-

Qua arte aduersarij Theomachi Dei miraculum stupẽdum conabãtur obruere.

conuo-

conuocarent,veréque exquirerent teſtes, ad rei tam memorabilis fidem ſemel obruẽdam, Vos illis videmini perſimiles, inquit,qui de fure apud oſtiarios percunctantur, quem per poſticum ſciunt elapſum.

Deo Opt. Max. ingens ſanè debetur gratia, quod oppugnatiſſimam vndique ſuam religionem Catholicam tam manifeſtariis dignatur hoc tempore ornare prodigiis, tam ingẽtibus illuſtrare miraculis, quæ nos hunc in finem commemoranda duximus,non modò ad Catholicos fratres toto terrarum orbe in priſca religionis Chriſtianæ doctrina conſeruandos, ſed ad eos potiſſimum ad deſertę fidei auitæ cõcordiam reuocandos,qui argutis aliquot,neſcio quibus nugis, aut ſophiſmatibus à totius orbis terrarum ſenſu,perpetuóque adeò Veterum Orthodoxorum PP. cõſenſu ſeſe patiuntur abduci. Hæc enim paucula noſtri iſtius temporis facta admiranda , & per quàm illuſtria,pios homines ex animo veritatis ſtudioſos nõ parum moueant, vt ſuæ ſalutis æternæ memores rationem apud ſe ineant,curnam diutiùs illam ſibi deſerendam putent Chriſti Do. Eccleſiam , cuius doctrinam nunc eiuſmodi planè dignatur Deus Opt. ornare miraculis,quibus olim illã primæuam, & ætate propè Apoſtolicam . Plura noſtræ iſtius tempeſtatis exempla non minùs admiranda,aut ſtupenda,poſſent huc cõmemorari: ſed nos breuitati conſulere monet inſtituti ratio.

Non abſurdũpetatur argumentũ pro religione catholica ex adniradis in eius hoſtes Dei miraculis nunc orbi monſtratis.

Non enim deſunt clarioribus aliquot locis delirorum carceribus clauſi,qui ex illa Goeſſeorum tempeſtate , qua abrepti & Deum,& homines,& ſacra omnia oppugnandos ſibi putabant miſeri,in perpetuam adacti rabiẽ triſtiſſimo ſpectaculo ſeipſi diſcruciant,horridoque laniatu ſeipſi eunt perditum; vt magis energumeni videantur ac dæmoniaci, quàm deliri aut inſani.

Ex Iconomachis nõ pauci ad inſaniã adacti & dęmonibus obſeſſi,qui etiamnum carceribus detinentur.

Neque enim fidem iis abrogandam equidẽ opinor,qui iſtos Iconomachos ſeſe vidiſſe aſſerunt,cùm Oreſticam illam non luderent,ſed furerent fabulam , dæmonum potiùs , qui ſuos paſſim illa tempeſtate deſerebant maniacos,quàm hominum ſpeciem præ ſe ferentes. Ardebant enim oculi ſcintillantes,& fulgorem quendam,vt in dæmoniacis , vibrantes; vultus præ mali cõſcientia horrebat liuidus atque teterrimus, manus ſæ-

uiebant,lingua furebat,dentes fremebant, os quibuſdam diſtortum quaſi à carnifice: Manifeſtaria res eſt quorũdam manus alioqui torpidas & ſemiſtupidas veluti enthuſiaſmo Bacchico raptatas naturalem oblitas viſas imbecillitatem: Plus enim noxæ diuinis rebus illo breui ſuæ phreneſeos paroxiſmo, paucisq; horulis duo aut tres Iconoclaſtæ attulêre, quàm ſolent ordinaria opera octo aut decem.

Vt enim omnia & modo, & moderatione carebant,ita & ratione, omnique in omnes prorſus pietate. Animus meminiſſe horret, quæ paſſim commiſerint ſcelerata flagitia: quæ ſi Donatiſtarum componantur facinoribus,videantur hæc ridicula,aut ſaltem leuicula, Sacrum fontẽ violare, calices dominici ſanguinis portitores calce proterere, calceos ſacro oleo inungere,atrocia poſteris videbuntur; ſed quæ & aliis legantur in abominandis impiorum hiſtoriis. Verùm noſtratia ſcelera omnem hiſtoricam ſuperabunt fidem, poſteriſq; propter nefarij criminis atrocitatem, inauditamque poſt Chriſtianorum memoriam in Deum impietatem,videbuntur, ſi non fictitia, certè hyperbolica. Quis enim credat,impietate pluſquã Iudaica eos ſacroſancta Chriſti Domini myſteria polluiſſe,pedibus protriuiſſe, ignibus concremaſſe? Quoties illam ſacroſanctæ menſæ dominicæ cogito alimoniam, Angelorum panem,hominum vitam(ô cælum! ó terra!) Pſytaco aulico datam fuiſſe eſcam;animam cum D.Helia vitæ huius pertęduit, quod in iſta nos Deus ſeruauit tempora. Verùm quibuſnam flagellis Deus Opt.nefariam cæperit iſtorum caſtigare impietatem,nunc indicauimus;alibi erit ea fuſiùs exponendi locus. Sufficiant enim illa dudum commemorata horrore non minùs quàm ſtupore plena miracula,quæ hominibus moderatis fouendam & obtinendam illam cum Catholicis doctrinam ſuadeant,quam tot prodigiis Deus dignatur facere conteſtatam.Ex iis enim quæ de pio ſanctorum cultu,veneratione, peregrinatione,atque inuocatione ſunt liquidis certiſque firmamentis in mediũ allata, perſpicuè videãt, nos Catholicos hac in re aliud nihil ſpectare,quàm vnius Dei gloriam: aliud nihil hic quærere,quam ſolidum Chriſti Domini honorem; qui ex legitimo,non tamen diuino, ſanctorum cultu verè augetur, ornatur

Aulico Pſytaco S. Euchariſtia obiecta multis cũ blaſphemiis deuoranda.

Trãſitio ad IIII. Antitheſin.

ornatur,& illustratur. Quare Protestantes Ordines nunc facilius de his 3. capitibus nobiscum de concordia conuenturos confidimus,vbi non solùm Orthodoxos Patres nostros viderint nobis Catholicis per omnia docere cõsentanea: sed suum etiam audiunt Martinum Lutherum disertis admodum verbis profitentem, Nunquã sibi hanc fuisse mentem, vt venerationem vel inuocationem Sanctorum putarit esse superstitiosam,hoc enim sapiunt,inquit Epistola ad Spalatinum, hæretici vicini Picardi & Bohemi. Quinimò & Oecolampadius & Lutheranorum facilè princeps Bucerus scribere non dubitarunt,sese Sanctorum inuocationem damnare non posse,ceu impiam & superstitiosam,nedũ vt idololatricam; quia sic docuêre atque fecêre Patres Orthodoxi, quodq; is fuerit Ecclesiarũ tam Occidentaliũ quàm Orientaliũ consensus,vetustissimaque obseruatio. Quos sui noui Euangelij magistros si imitari nõ dedignarentur discipuli isti Anonymi noui Confessionis Augustanæ apologetici,atque candidè & citra calumniam Catholicorum accipere sustinerent doctrinam,nullo sanè,vti equidem arbitror,negotio inter dissidentes nunc Ecclesias optatissima piis omnibus coëat pax, faustáque & fælix redeat Germaniæ calamitosiss. concordia. Sicut enim Iohan. Brentius Confessionistarum nulli secundus,& Theologi Tubingen.re ipsa adacti nunc tandem agnoscũt,Sanctos esse non modò pro nobis oratores & deprecatores, sed & pio quodam sensu D. Paulum & Timotheum saluatores, diuamque adeò Mariam multorum hominum saluatricem: ita & alij istius inuidæ discordiæ œstro perciti facilè in concordiam nobiscum redigantur,modò candidè ac citra calumniam malint Catholicæ Dei Ecclesiæ accipere doctrinam,quàm de lana rixari caprina. Sed hæc superioribus sufficiant controuersiis explicandis: nunc ad alias vt porrò transcurrat oratio, tempus flagitat.

QVARTAM ANTITHESIN NVLLO licet discutere negotio, cũ simili,vti tertia,nitatur captiosa Amphibologia, siue Sophistica vocabuli vnius aut alterius ambiguitate; quæ est IV. CAP. XII.

De merito & satisfactione Filij Dei, & nostris operibus bonis; quam Confeßionistarum apologetici sic exordiuntur.

Item docent S. literæ magno consensu, quòd sola paßio, & mors Filij Dei Domini nostri Iesu Christi, pro peccatis satisfecerit æterno Patri.

Responsio Lindani.

Consensio. ISTVD extra controuersiam est, cum idē doceamus omnes, quod & Scripturæ huc adductę loquuntur, & Patres allegati contestantur. Nullus enim inficiendo fuerit, Christi Domini mortem fuisse pacis nostræ, quod ait Propheta, siue reconciliationis, ac pro ea impetranda satisfactionis disciplinam & piacularem victimam: cuius vnius merito & efficacia nobis omnibus in gratiam cum Deo Patre fuit redeundum. Sed quod attexunt, venenatā habet doctrinam, aiunt enim, S. literas docere, quòd exiguntur à nobis bona opera secūdum pręcepta decalogi, non vt his peccata aboleamus coram Deo: sed vt fidem nostram & debitā Deo obedientiā his testificemur.

Esai. 45.

Consensio. Cùm enim consensio sit cum plerisque Confessionistarum de operum bonorum necessitate, in controuersia est positum, quo scopo, aut quonam vsu sint Christianis facienda, siue quonam fructu præstanda? De hoc nulla est controuersia, si opera, quæ ante baptismum, vel ante iustificationem fiunt, cogites; sed in præsentiarum tantum de iis, quæ à Christianis post baptismum fiunt, agitur.

Facillima cōcordiæ aperiatur via, si opera distinguantur, de quibus aduersarij rixantur.

Hæc autem opera duplicem habēt considerationem, sicuti & à duplici hominū Christianorū genere fiunt. Post baptismū enim sumus aut accepta dudum per Christi Sacramētum iustitia iusti; aut eadem per peccati fallaciam, siue nostram fragilitatem deperdita & abolita iniusti.

Istorum duplicis generis Christianorum opera, qui callidè velit cōfundere, aut sophistico fallendi studio præstigiatorum more, atque empiricorum fraude commiscere; is vt sese grauissimis intricabit erroribus; ita aliis perniciosæ opinionis fuerit author.

Opera ergo Christianorū (de infidelium enim Iudæorum, aut

aut Turcarum operibus nihil hic agitur) aut fiunt à reconci- Qua methodo hæc tranctanda controuersia.
liatis, aut in ira Dei agẽtibus. Illa quia à Dei filiis fiunt, & vti Christus loquitur, Iohan. 2. in Deo sunt facta, Deo haud dubiè sunt grata; de quorum effectu, an merita sint, an suffragia, dicetur inferius.

Hæc verò, quia ab improbis & rebellibus fiunt, licet fidelibus, Deoque fidem habentibus, sed non morem gerentibus, nihil merentur quidem; sunt tamen ad recuperandam Dei Opt. gratiam peccatis dudum amissam necessaria, sicuti præclarum Corinthij illius Paulini discipuli, doctoris ac sacerdo- 1. Cor 5.
tis exemplum abundè contestatur. an autem satisfactionis no- Chrysost. epistola v. ad Theodor.
men mereantur, vti D. Cyprianus, August. aliique PP. Orthodoxi docent, nec ne, infrà tractabitur aptiùs; vbi Christi meritum & satisfactionem, quantum huius loci explicatus postulat, paucis exposuerimus, nihilq; Catholicæ Dei Ecclesiæ probatis dogmatibus officere demonstrauerimus.

Quia superiori cap. diffuse satis incomparabile Christi Domini Saluatoris vnici beneficium pertractauimus, in præsentiarum suffecerit illud admonere, Catholicos planis vbiq; verbis profiteri solam Christi Iesu Domini nostri mortem & passionem æterno Patri pro peccatis nostris, immo totius mundi fecisse satis. Siquidẽ ipse vnus est ille agnus Dei, qui tollit pec- 1. Iohan. 1.
cata mundi, Nam disciplina pacis nostræ super eum, ait ille Esaiæ. 45.
Dei spiritu aflatus Esaias. Ad placandum ergo Patrem, siue iratum homini peccatori reconciliandum, solo Christi sanguine est opus, quia ipse solus est totius mundi propitiatio in sangui- Roman. 3.
ne suo.

Aliter tamen Dei verbum docet ad hanc Dei Patris reconciliationem veniendum pagano, aliter Christiano à Christiani Pro vario pœnitentiæ modo, varia etiam docẽt S. literæ opera præstanda.
sacramenti gratia, plenaque peccatorum remissione dudum percepta lapso. Vtrique est quidem ad Patris recõciliationem opus seria veteris vitæ pœnitẽtia: quod D. Petrus die Pentecostes in Iudæis nondum Christianis perspicuè docet; & Paulus suo illo in discipulo adultero, siue incestuoso Corinthianę Ecclesiæ doctore demonstrat. D. Cyprianus beneficij diuini per Christum Do. cælitus allati longè doctissimus, nihil pugnare docet, si eius sanguine abluti & purgati, deinde purge-

Abluti dudum Christi sanguine abluuntur & purgantur eleemosynis Cypriano.

mur etiam eleemosynis. Sic enim ad verbum habet Serm. de opere & eleemosynis in principio. Loquitur in Scripturis Sp. Sanctus & dicit: Eleemosyna & fide delicta purgantur. Non vtique illa delicta, quæ fuerant antè contracta. Nam illa Christi sanguine & sanctificatione purgantur. Item denuò dicit: Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum, hic ostenditur quoque & probatur, quia sicut lauacro aquæ salutaris gehennæ ignis extinguitur: ita eleemosynis atque operationibus iustis delictorum flamma sopitur. Et quia semel in baptismo remissa peccatorum datur, assidua & iugis operatio baptismi instar imitata Dei rursus indulgentiam largitur. Et paulò inferius: Et quia seruare quęrit, quos pretio magno redemit, post baptismi gratiam sordidatos docet denuò posse purgari. Huc enim illud Domini apud Lucam cap. 11. allegauit Cyprianus, Date eleemosynam, & ecce munda sunt omnia vobis: ostendens (inquit) ac monens vnde mūdi & purgati esse possemus, addidit eleemosynas esse faciendas. Perspicuè igitur patet, plenæ illi satisfactioni, aut peccatorum purgationi per Christum factæ non repugnare opera bona, quibus pristinam vitam priorum vitiorum pœnitentes deflemus, lugemus, deploramus.

Remissa peccatorum datur in baptismo: sed eā imitatur eleemosyna piaque opera.

Luc. 11

Hæc pia pœnitētis animæ opera, quia ex Dei gratia & Christi fide fiunt (videt enim iam ex fide humana mens Deum peccatis suis iratum, ideoque illa detestanda, fugienda, lugenda) hæc pia, inquam, pœnitentis animæ fidelis opera cùm sint necessariò pręstanda, videndū an ex Euangelica doctrina sint tanquā lapsuū quædam emēdæ, atque offensionum satisfactiones adhibendę: an tātum vt fidem & obedientiā his testificemur?

Opera quę à Paganis siue Iudęis ante baptismum fiunt, suo seruentur, vt diximus, loco: quia in præsens tantùm de Christianorum post lapsum actionibus, piisque operibus hic Catholicis à Confessionistarum patronis lis mouetur.

Quo fine bona opera pœnitētię post baptismū piis præstāda ex Orthodoxorū PP. consensu perpetuo.

Quòd autem lapsorum opera, quibus ad reconciliandam Dei Patris interatò offensi gratiā necessariò ex Pauli, aliorūq; Apostolorū testimoniis nitūtur, alio fine vsuque præstari debeant, quā Confessionistæ profitentur, nunc Orthodoxorum PP. demonstrabit consensus paucis ipsorū verbis contestatus.

D. Cy-

D.Cyprianus Euangelicæ pietatis,si quis alius, eximiè peritus,lapsos hortatur,Dum patet indulgétiæ aditus, fratres, inquit,epilogo ad Nouat.Deum plenis satisfactionibus deprecemur.Rursus Ser.ad lapsos,Dominus orádus est,Dominus nostra satisfactione placandus est. & sub finem, Vel si quis eum suis satisfactionibus mouerit,si eius iram, si indignantis offensam iusta deprecatione placauerit,& cæt. Deum nostra satisfactione placandú post baptisma. Cyprianus.

Sic & D. Ambros. diuinorum mysteriorum in primis scientissimus,Grande scelus,inquit ad Susannam Virg.lapsam c.8. grandem habet necessariam satisfactionem. Similiter Ser. 27. His itaque diebus Quadragesimæ,ieiuniis recóciliatur Deus, aperiuntur cæli, inferna reserantur. Igitur & nos, fratres dilectiss.ieiunemus cótinuè & deuotè hoc spatio temporis, vt propitietur nobis Dominus. Ambrosius. Ieiuniis quadrages.propitiandú Deum.

Item Ser.30. Vide ergo quæ sit misericordiæ gratia,quę vna & sola virtus cunctorum redemptio est peccatorum. Quo autem sensu istud sit accipiédum, verbis superioribus indicarat, Quod adulter pecuniá pauperibus erogás emat sibi,ait, quodammodo innocentiam. Rursus Ser.40. Nó sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoq; peccata paruulorum innocentia deploraret,& fletibus alienis delicta sua iuuentus ablueret. Misericordia est peccatorum redemptio. Adulter pecuniis sibi redimit innocentiam.

Nunc & D.August. audiamus Euangelicæ doctrinæ testem, si quis alius,fide dignissimú: In melius vita mutáda est(inquit Enchir.c.70.& per eleemosynas de peccatis preteritis est propitiádus Deus. Et infrà, Miserádo delet peccata iá facta, si nó satisfactio cógrua negligatur. Similiter in Psal.37. Hoc est curá gerere pro delicto,semper sedulò agere vt sanes peccatum. Et infrà, Faciá omnia quæcunq; facienda sunt ad abluendú & sanandum peccatum meum. Sic & homil. 50. de pœniten. Veniat ad Antistites (peccator iam sui peccati dolore perculsus) per quos in Ecclesia Claues administrantur, & tanquam bonus incipiens iam esse filius à Præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum. Rursus paulò inferius: Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitú, per contriti cordis Augustinus. Eleemosynis Deus propitiandus. Post Confessionē auricularem accipiédus à Sacerdote suæ satisfactionis modus. Audiát hæc, qui veri Euangelij ignorantia cæci adulando clamát, optima pœnitentia noua vita.

cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis. Sed quid nunc plures VV. Patres huic ſententię ſuffragantes commemorem? niſi vt frons ænea quorũdam nondum deploratorum aliquando erubeſcat.

Aureum illud orationis flumen fundens D. Iohan. Chryſoſt. Dauidis lapſi exemplo Theodorum ex voti monaſtici violatione in Hermionis fæminarũ pulcherrimæ adulterium lapſum hortatur epiſt. 6. quam ô vtinam noſtrates Sacerdotes ac Monachi iſti non coniugati, vti putant temerè, ſed conſtuprati, adulterioque vero contaminati, ſi Canones priſci merentur fidem, ſatis haberẽt lectam aut perſpectam, non diu iſthoc captiui volutarentur maritali cæno! Theodorum igitur ad ſimilis planè lapſus pœnitentiam reuocaturus Chryſoſtomus ait, Dauidem mox à lapſu ad medicum conuolaſſe, & diuerſa medicamina plagis feſtinum adpoſuiſſe, ieiunia, lachrymas, luctus, preces, & indefeſſam peccatorum cõfeſſionem: ac ſic per iſta placato à Deo veniam meruiſſe, & ad priorem dignitatem rediiſſe.

Chryſoſto. Dauid per ieiunia & lachrymas Deum placaſſe, ac veniã peccatorũ meruiſſe.

Lactantius Firmianus multa in eleemoſynæ Chriſtianę laudem vbi differuiſſet, Quòd ſi mortalis conditio, inquit libr. 6. c. 13. non patitur hominem eſſe omni macula purum, debent perpetua largitione peccata carnis aboleri. Pleniùs hoc antiquior Tertullianus lib. de patientia, Quæ ergo, inquit, negotiatio patientiæ in corpore? In primis afflictatio carnis, hoſtia Deo placatoria per humilitatis ſacrificium, qua ſordes cum anguſtia victus Domino libat, contenta ſimplici pabulo, puroque aquæ potu.

Lactantius. Peccata eleemoſynarum largitione aboleri.

Tertullianus. Carnis afflictio eſt Deo hoſtia placatoria.

Deinde. Sic ille Rex Babylonius immolata patientia corporis ſui & regnum recuperauit, & quod optabilius homini eſt, ſatis Deo fecit.

Nabuchodonoſor ſatis Deo fecit.

In hunc modum loquuntur & illi Epiſcopi in Concilio, vti apparet, Iconien. congregati epiſtola ad D. Cyprianum data, quæ nomine Firmiliani circonfertur. Qua ex cauſa neceſſario (inquiũt) apud nos ſit, vt per ſingulos annos ſeniores & prępoſiti in vnum conueniamus ad diſponenda quæ curæ noſtræ commiſſa ſunt, vt ſi qua grauiora ſunt, communi conſilio dirigantur.

Firmilianus Epiſcopus Iconien. D. Cypriani æqualis.

Lapſis

Lapsis quoque fratribus, & post lauacrum salutare à diabolo vulneratis per pœnitentiam medela quæratur, non quasi à nobis remissionem peccatorum consequantur, sed vt per nos ad intelligentiam delictorum suorum conuertantur, & Domino plenius satisfacere cogantur.

In eandem sententiam & D Basilius piis consulit, vbi illud D. Pauli, Attēde tibi ipsi, pro cōcione explanandū suscepit. Attēde tibi ipsi (inquit) vt iuxta proportionē delicti etiam curationis auxilium assumas. Magnum est & graue peccatū, multa tibi opus est confessione, lachrymis amaris, iugi vigilia, indesinente ieiunio. Quàm verò sit hæc pœnitentia Deo grata, cuiusúe sit efficaciæ, alibi ostendit.

D. Basil. magn°.

Grauia peccata opus habent lachrymis & assiduo ieiunio.

Septuplum itaque nobis retributionem debitam (inquit homil. 11. in Hexa.) peccatoribus indulgebit Dominus, hîc per confessionem & pœnitentiam à nobis placatus: siue vti Græcè est, ἐνταῦθα ἐξιλεωθεὶς παρ᾽ ἡμῶν, hac in vita à nobis per confessionem atque pœnitentiam factus propitius.

Deus pœnitētia placatus redditur atque propitius per nostrā pœnitentiam.

His disertis Patrum Orthodoxorum Cypriani, Lactantij, August. Ambros. aliorumq; verbis, an quid posset doceri germanius, aut magis consentaneum, quàm hoc ipsum quod per calumniam isti arrogantissimi Confessionistarum Patroni fingunt, Catholicos contra Scripturas & Vet. PP. testimonia docere, bona opera & castigationes vltrò assumptas satisfacere pro peccatis nostris? an non sic D. Cyprianus: Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus est? An non sic ille vetustior Tertullianus Apostolorum vicinus temporibus, Afflictionē corporis hostiā esse Domino placatoriam? Regem etiam Babylonicum immolata corporis sui patientia Deo satisfecisse? An nō sic Ambrosius eleemosynam esse cunctorum redemptionem peccatorum? An non denique sic D. Augustinus, non sufficere à malo recedere, & mores in melius commutare, nisi & de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, aliáque pia opera?

Orthodoxos PP. docere opera nostra post baptismum esse satisfactiones & placationes.

Cæterùm quod delecti Confessionistarū defensores hac 4. in antithesi addunt, Catholicos docere, opera bona esse meritum omnis gratiæ, manifestum est mendacium docent quidem bona opera esse merita, & gratiæ esse merita: sed nullus

est omniũ ita impio Pelagio affinis, vt doceat, esse bona opera omnis gratiæ merita. Sic enim Christus gratis esset mortuus: Sic Christi sacramentis non esset opus.

Adeò illam doctrinam in antithesi Catholicis per anonymos Confessionistarum Patronos improbè affictam nõ docẽt Catholici, vt eam pro Pelagiana, immo Pagana, sacrilega, impia sæpissimè in Conciliis refutarint, dánarint, atq; anathemate iugularint: quẽadmodum videre est cano. Cõc. Trid. quod antiquiorum synodorũ, Aurasic. & Mileuit. vestigiis insistit.

Detorquẽt aduersarij sententias piorum improbè.

Proinde quæ ad statuendum suum mendacium belli Confessionistarum propugnatores ex Antonio, aut Bonauentura, & cæt. adducunt testimonia, non in eam sententiam sunt ab illis dicta, in quam isti abripiunt improbè. loquuntur enim de iustorum hominum operibus, id est, qui gratia Christi dudum iustificati, secundum Iohan. Apostoli dictum, iustè agũt, id est, legem Christi, spiritu eius adiuti, implere student: quæ opera Christi spiritu facta cùm mercedem à Christo mereantur non simulatam, non fictitiam, non inanem, sed fidelem atque solidam, rectè merita & sunt, & appellantur. sicuti & S. scriptura nobis suffragatur, Prouerbiorũ vndecimo, Seminanti iustitiam, merces fidelis. Rursus Ecclesiastici 16. Omnis misericordia vnicuique locum faciet secundum meritum operum suorum. Hanc de operum meritis doctrinam, & D. Cyprianus ex Dei verbo astruere non dubitauit: Operationibus iustis Deo satisfieri (inquit Sermone de laps. haud longè ab initio) misericordiæ meritis peccata purgari. & apud Salomonem legimus: Conclude eleemosynam, inquit, in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. & iterũ, Qui obturat aures, & cæt. inuocabit Dominum, & nõ erit qui exaudiat eum. Deinde hanc verbi Dei de operum meritis doctrinam confirmans æthiologiam adiecit, Neque enim promereri Dei misericordiam poterit, ait, qui misericors ipse non fuerit. Ex hoc verbi Dei fonte fluxit tam frequens apud Orthodoxos PP. meritorum cõmemoratio. Lachymæ veniam (inquit Ambrosius lib. 10. in Lucam cap. 21.) non postulant, sed merentur. Item Paulò inferius: Et tu si veniam vis mereri, dilue culpã lachrymis tuam. Et 1. lib. offic docet, mansiones in cælo distingui, in quibus

1. Iohan. 2. Ecclesi. 16. Prouerb. 11. Mercedẽ & meritũ operum docet Dei verbũ. Operum merita patribus semper in ore, vnde fluxerint.

Ambrosius.

bus pro ratione meritorũ quisque requiescit. Sic D. Augustin. Deum per obedientiæ meritum, inquit de Ciuitat. Dei. 13. cap. 22. voluisse homini corporis immortalitatem conferre, atque spiritum viuificantem. & de Trinit. lib. 14. cap. 15. Quid faciet mentem beatam, nisi meritũ suum & premiũ Domini sui? & rursus, Homo accepit iustitiam à Deo, propter quam accipere beatitudinem mereatur. Item Ser. 162. Deus pro meritis fidei & bonorum operum dabit fidelibus suis regnum cœlorum. D. Hiero. etiam diuersas eiusdem regni cælorum mansiones à Domino ait appellari, quia Sanctorum merita (inquit dialogo 1. ad Pelag.) sunt diuersa. Augustin. Hierony.

Sic D. Cyprianus, præter fidem iustitia esse opus, docet lib. de Eccles. vnitate, vt promereri quis possit Deum iudicẽ. Præceptis eius, & monitis obtemperandum est, vt accipiant merita nostra mercedem. Rursus serm. de eleemosyna, Verũ Dei munus (inquit in Epilogo) & maximũ, infirmis necessarium, fortibus gloriosum, quo Christianus adiutus præ se effert gratiam spiritalem, promeretur Christum iudicem, Deum computat debitorem. Cyprian.

Ex eodem spiritus Christi in nobis habitantis opere siue potius cooperatione quasi vitæ æternæ fonte fluxit, quod & D. August. & Chrysost. & alij omnes PP. docent, nos Sanctorum meritis adiuuari, vti August. contra Faustum lib. 20. cap. 21. Ideò festa martyrum à Christianis celebrari, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum cõsocientur, & orationibus adiuuentur. Sic & lib. quæst in Exod. cap. 149. Cum merita nostra nos grauant, ne diligamur à Deo, sciamus nos illorum meritis adiuuari posse, quos Deus diligit. hinc & de Ciuit. Dei lib. 21. cap. 27. docet, Sanctos iuuare homines suffragio & meritis, vt saluentur (inquit) per illos, qui alioqui misericordiam non erant consequuturi. Sic & Iohan. ille ab aureo orationis flumine Chrysostomus dictus, huius rei admiratione captus exclamat, O rem admirãdam (inquit homil. 2. in Psal. 50. ô ineffabilem Dei clementiam! Dauid mortuus est, & Ezechiæ viuo patrocinatur! Et paulò infrà, Protegam ciuitatẽ hanc propter me & propter Dauid seruum meum. Dauid mortuus est, & merita eius vigent. Sic & Epist. v. ad Theodor. docet, Daui- Meritis Sanctorum nos adiuuari vnde fluxerit. Sanctorũ meritis saluãtur, qui alioqui nõ erãt saluãdi. August. Dauidis merita post mortem vigent & viuis patrocinantur Chrysostom.

dem mortuum suis filiis fuisse præsidio: quod epist. VI. interpretatur, Deum Salomoni paternorum contemplatione meritorũ sextam regni portionẽ permisisse. Sanè nihil mirandũ, Deum Opt propter suorum martyrum siue Apostolorũ merita suis subindè succurrere filiis, cum ipsorum merita nõ sint nisi ipsius dona, quemadmodum D. August. epistola 105. verissimè docet, omne bonum meritum nostrum, inquit, nõ in nobis facit nisi gratia. Et rursus, merita nostra sunt Dei dona: quę cum Deus coronat, nihil aliud coronat, quam munera sua, sed in misericordia & miserationibus. Siquidem ex liberalissima Dei Opt. gratia & orta sunt, & facta sunt, dum tamen ea coronat, iustamq; eis mercedem reddit, iam non solùm ex misericordia donat, sed ex iustitia reddit mercedem promeritam, quemadmodum D. Paulus Hebræis testatur: Non iniustus est Deus (inquit ca. 6.) qui obliuiscatur operis vestri boni.

Meritorum vis vnde, ac tanta energia, vt vel aliis prosint.

Hebræo. 6. Opera bona ex iustitia mereri mercedem.

Quod si opera bona non merentur ex iustitia mercedem iustam, siue retributionem, non esset iniustum, si Deus obliuisceretur operum bonorum. Atqui Paulus Deũ iniustũ fore pronunciat, si obliuisceretur operis boni, quod Christiani illi Hebræi in egenos dudum præstiterant. vnde & D. Cyprianus fiducia verè Christiana plenissimus audet affirmare, Christianos per eleemosynas Christum promereri iudicem (inquit Epilogo Serm. de eleemosy.) & Deum computare debitorem. Quem imitatus & D. Augustinus, Diuum Paulum ait, Comment. in Psal. 100. inuenisse Deum donatorem tempore conuersionis, iam tenere debitorem tẽpore iudicij: non dixit, donabit, sed reddet mihi coronam iustitię. Audi Paulum, inquit Com. in Iohan. 2. ca. 4. flagitantem; iam debitum flagitat; iam debitũ exigit. Proinde non ex sola misericordia Deus bonum opus coronat: sed ex vera iustitia, quoniã illud meretur iustam retributionem, siue iustam mercedem.

Deũ fieri nobis debitorem propter bonorum operũ merita.

Certè si nullum est bonorum operum meritum, nullã quoque Deus piis laboribus reddet mercedem: quam tamen vel haustui frigidæ promisit non perituram fallere nescius Dei filius Christus Iesus. Vnde D. Paulus tam erat hac de iusta suorum laborum siue meritorum, vti ait D. Hiero. 1. dialogo ad Pelag. mercede confidenter securus, atque securè confidens, vt

D. Hiero. dial. 1. ad Pelagian. Plus habuit Pau

vt gloriari nō dubitarit repositam sibi coronam iustitiæ, quam mihi reddet, ἀποδώσει, reddet, inquit, iustus ille iudex in illa die. Si reddet iudex, & iustus iudex reddet, necesse est piorum operum iustam esse mercedem, quam Latini meritum, Græci ἀξίωμα ἢ κατ' ἀξίαν vocare solent.

lus meritorum, quia pl° omnibus laborauit.

Vnde & diuinus ille Daniel salutare impio Regi Babylonico remedium pręscripturus rectè admonet: vt peccata sua eleemosynis redimat, quòd sciret teste D. Hiero. ad Pammach. super obitu vxoris, Regem superbissimum pauperum sustentatione saluandū. Quod D. Hiero. scholion, si accuratius expendant linguarum periti, agnoscent eum ad Danielis vocem פרק Peruk allusisse, quæ Hebræis sonat liberare, redimere, atq; saluare, Psal. 136. Threnorum 5. Verissimū enim est quod pius ille verè pietatis speculum Tobias senior filio præscribit eleemosynæ encomiō, per eam nos premiū nobis (inquit c. 4.) thesaurizamus in die necessitatis, quoniam ipsa ab omni peccato, & à morte liberat: siue vti Angelus Raphael ait, cap. 12. purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam ęternam. non enim patitur animam ire in tenebras. fiducia magna erit coram summo Deo omnibus eum facientibus atque exercentibus. Rursus eleemosyna conclusa in sinu pauperis, inquit Ecclesiasticus cap. 29. exorabit, siue liberabit ab omni malo, vbi plurima eleemosynæ congerit elogia.

Eleemosyna saluat Regem Babyloniū Hiero.

Daniel. 5.

Tob. 4. & 12.

Fidendum esse bonis eleemosynarū operibus.

Hæc piorum operum, siue Christianorum meritorum encomia nobis hic fuere fusiùs prædicanda, vt veras pietatis in egenos laudes magis celebraremus, piam que fiduciam ex illis apud Deum, vti ait Cyprianus & August. debitorem natam liquidis verbi Dei testimoniis, clarisque Orthodoxorum Patrum sententiis confirmaremus.

Quod ergo delecti Confessionistarum patroni hanc anthesin conclusuri pro Epiphonemate ex Petro à Soto subtexunt, facilè bonus æquus iudex censeat quàm rectè id sibi ludibrio esse voluerint. Sentiendum est iuxta Eccl. Catholicæ sensum, bonis operibus, quæ ex diuina gratia fiunt, ita esse fidendum, vt ad expianda peccata, iram Dei placandā, & vitam æternam consequendam necessaria sint, & cæt.

Fiduciā bonorū operum immeritò rident Confessionistæ.

Si enim Orthodoxorum PP. verbis ista doctrina de pia ope-

rum à Christianis ex fide & spiritu Christi, immo vti Christus loquitur, in Deo factorum fiducia, quòd iram Dei placant, nitatur & stabiliatur, an ludibrio sit cuiquam pio vertenda? Sic D. Cypria. Ser. de lapsis, per bona opera iram Dei placari. Itē Ser. de eleemos. operationibus iustis ait Deo satisfieri: misericordiæ meritis peccata purgari, & apud Salomonem legitur. Item Epistola 3. li. 1. Datur opera (à Nouatianis) ne satisfactionibus & lamentationibus iustis delicta redimantur, ne vulnera lachrymis abluantur. Similiter Epist. 8. lib. 1. longa & continua satisfactione Dominus placandus. D. Hieronymus epitaphio Fabiolę ait, pœnitentiam esse hostiam Deo placabilem, quam paulò superius docuit omnia abluere peccata, omnesq; sordes purgare. Item ad Pammachium super obitu vxo. Daniel sciebat Regem superbissimum pauperum sustentatione saluandum. Similiter lib. 2. cōtra Iouinia. scribit, Niniuem imminentem Dei iram ieiuniorum miseratione à ceruicibus suis detorsisse; quam & Sodoma & Gomorra placassent, si voluissent agere pœnitentiam. Immo disertè D. Augustinus docet, Niniuitas, ad quos (inquit in cap. Matth. 12.) missus est Ionas, agendo pœnitentiam, iram Dei placauisse, atque misericordiam meruisse.

Placari Dei irā nostris operibꝰ.

Sic Enchyridij cap. 71. Deum docet precibus & operibus propitiandum de peccatis præteritis. Item homil. in Psal. 37. Faciam omnia, quæcunque facienda sunt ad abluendum & sanandum peccatum meum.

Epilogus.

Cùm igitur bona Christianorum opera ex fide Christi, & Dei spiritu facta omnes animi sordes abluát, peccata deleant, expient, aboleant, iram Dei placent, reddantq; Dominum nobis propitium, & salutem adeò operentur, vti disertis Orthodoxorum PP. verbis est demōstratum: ecquid, obsecro, causæ habent Confessionistæ, cur aut nos ista docere calumnientur contra veterum Patrum testimonia: aut à nobis dissentiant atque diffideant diutiùs: cum hæc doctrina variis Scripturæ testimoniis fuerit comprobata, & perpetuo PP. Orthodoxorum consensu confirmata?

CAP. XIII. V. Antithesis de Cœnæ dominicæ profanatione.

QVO verò errores impios Catholicæ Christi Ecclesiæ, quos dicunt delecti Confessionistarum apologetici, porrò demonstrent,

ſtrent,quintam antitheſin ſuam hunc in modum exordiũtur. Iam de cæna Domini, inquiunt, perſpicuis Scripturæ ſanctæ „ teſtimoniis conſtat primũ, Eam inſtitutam eſſe à Chriſto ipſo, „ non vt vi cõſecrationis,ſeu recitationis verbi diuini fiat Tran- „ ſubſtantiatio panis & vini: ſed vt vna cum elementis verum „ corpus & ſanguis Domini verè,ſubſtantialiter, & præſens de- „ tur ac diſtribuatur. „

RESPONSIO LINDANI.

De vera veri atque ſubſtantialis corporis Dominici præſentia in S. Euchariſtia Catholicis hac in parte conuenit,& cũ iſtis Cõfeſſioniſtis: ſed de Tranſubſtantiatione litem mouent, quam in Antitheſi aiunt monachos & ſacrificulos cõtra pium „ huius ſacramenti vſum inter alias multiplices prophanationes „ in Eccleſiam inuexiſſe,docẽtes,quòd in miſſa,cum recitantur „ verba inſtitutionis, fiat Tranſubſtantiatio panis & vini, hoc modo,vt tantum maneat externa ſpecies ſymbolorum panis & vini.

Conſenſus.

Hanc Eccleſiæ Dei Catholicæ doctrinam, de Tranſubſtantiatione iſti præclari Confeſſioniſtarum Patroni Theologi & Conſiliarij politici,audent Papiſticis,vti maledici loquuntur, monachis & ſacrificulis tribuere, quæ totidem ferè verbis in vera atque germana extat Confeſſione Auguſtana Carolo V. Auguſtæ,an.30.exhibita,& luculentis admodum teſtimoniis Græcè & Latinè in Confeſſionis apologia eodem anno per Philipp.Melanchthonem diſertè confirmata.

Monachis tribuunt quod in vera germanaq; docetur Cõfeſſ. Auguſtana, eiuſque apologia.

Viderint igitur illuſtriſſimi Electores,Principes,&ad vnum omnes Ro.Imperij ordines,quàm bona fide iſti delecti Confeſſioniſtarum Patroni Theologi, & politici Conſiliarij rem tanti momenti agant.

Mala fide iſtos delectos, Confeſſioniſtarũ patronos rem Imperij Rom. agere.

Certè vt Cõſiliarij politici culpæ doliq; mali nõ ſint affines, Theologi tamen calũniæ notam effugere nullo modo queant. Coguntur enim omnes Paſtores, atque in primis Profeſſores VVittenbergæ, vti & dudum Heidelbergæ, iurare in verba non modò Cõfeſſionis Auguſtanæ, ſed Apologiæ etiam,tunc mox illam conſequutæ: quemadmodum non ignobilis Lutheri

theri discipulus testatum facit suo contra Caluinum scripto Tielmannus Heshusius, vbi non immeritò quiritatur, ministros Ecclesiæ multis in locis periculosè (inquit) astringi nõ solum ad Confessionem Augustanam anno 30. Carolo A. oblatam, sed etiam ad apologiã, quæ mox sequuta est, quam tamẽ ipse damnare atq; repudiare eodem loco nihil ambigit, quòd commentum, inquit, Papistarum defenderit de Transubstantiatione, vbi verba primæ apologiæ recenset, quæ inferius venient pertractanda fusiùs.

Confeßione de Eucharistia, fol. N. 3. Heshusius apologiam Confes. Augu. damnat, quod transubstantiationẽ olim defenderit.

Sed vt demus istos delectos Theologos bona fide rem hanc agere, suáque Euangelica licentia ab isto iuramẽto, immo manifesto periurio absolutos, quia ignorant quænam sit vera Cõfessio Augustana, quænam etiam vera Confessionis apologia, in quas nominati sacrosanctè iurare fuere adacti, nunc paucis est aperiẽda veritas, tot hactenus calumniosissimis scriptis vexata, atque variis artibus obscurata, pænéque, si fieri posset, oppressa. Hinc enim Imperij Ro. ordines omnes atque Confessionis Augustanæ professores luce meridiana clariùs perspicient, istud exitiale Germaniis dissidium de doctrina Christiana non esse veris rationibus, aut legitimis, nedum necessariis causis nixum, sed meris impostorum aliquot & nugatorum ineptiis, improbis Sophistarũ artibus, diabolicis deniq; mendaciis fundatum & stabilitum.

Dissidium Germanorum à Catholicis quanã sathanica arte fultum & propugnatum.

Qua in re liquidò demonstranda diligens in primis erit nobis ponenda opera, quod ex vno hoc controuersiarum capite de Transubstãtione nullo negotio licebit piis Lectoribus perspicere, certóque certiùs deprehendere, quàm infæliciter planè Rom. Imperij Electores, Principes, omnesque ad vnum Confess. Augustanæ ordines & professores suorũ magistrorũ fraudibus circunuenti, doloq; malo ludificati, ne dicam fascinati, manifestæ repugnant veritati, immo si verùm dicere licet, quod suam ipsi Confessionem ingenuè Augustanam Carolo V. A. anno 30. exhibitam oppugnent atque aboleant, contrariamq; adeò nunc doctrinam à suis miserè decepti defendant, quam tunc vt verbo Dei dissentaneam diserta professione execrabantur.

Quod protestes olim an. 30 vt verbum Dei profitebantur, nunc suorũ magistrorũ fraudibus ludificati & fascinati, vt diaboli mendaciũ execrantur.

Quod vt omnes semel videant, planiùs initiò quænã fuerit

vera

vera huius ipsissimæ de S. Euchar. Confessionis Augustanæ Carolo V. exhibitæ tanquam verbum Dei doctrina, explicabitur: Tum quid Confessionis apologia mox consequuta hac de re defenderit: Deinde quî paulatim paucorũ fraude prorsus sacrilega, fuerint & Confessio Augustana, & ipsius propugnatrix Apologia vitiatæ, deprauatæ, adulteratæ.

Qua methodo hæc de S. Eucha. controuersia erit explicanda.

Confessionem igitur illam ingenuè Augustanam Carolo V. A. anno 30. oblatam habuisse doctrinam nouæ isti Confessionistarum nunc temporis doctrinæ hoc publico scripto ipsorũ nomine defensæ contrariam, inde liquet, quòd disertè Catholicis concorditer sit professa, in S. Eucharistia verè esse sub specie panis & vini verum corpus & sanguinem Domini.

Confessio verè Augustana Catholicæ fuit doctrinæ consentanea, de panis trãsubstantiatione, ideoque illã quę nunc in vulgus est nota, adulteratam esse.

Sic enim etiamnum hoc anno 65. eius verba recitat Valentinus Erithræus, non obscurus, neque postremus Confessionis Augustanæ contra Sacramentarios propugnator. Doctrinam enim de Eucharistia expositurus, hæc verba ex Germanica Cõfessione recitat: **Von dem abendmal des Herrẽ** (inquit fo. 152. parte prima tabul. Confess. Augustanæ) **wirdt allso ghelëret / das warer leib vnd blut Christi warhafftiglich vnder ghestalt des brodts vnd weins im abendmal gegenwertig sey / vnd da auss geteylet vnd genomen wirdt.** Quod Latinis sonat: De cœna Domini docent, verum Christi corpus & sanguinẽ verè sub specie panis & vini in cœna esse præsens, in eademq; distribui & accipi. Suffragatur huic, & ad verbum respondet Confessio Augustana è Germanico pridem Carolo V. Augustæ exhibito, in linguam Belgicam versa, quam Illust. V. D. Antonius de Isenberch Comes Budingen. M. Hermanno Beyèro Concionat. Francford. ad Mænum sua manu transscriptam misit, atque anno LXIII. VVesaliæ per Iohan. Bruker excusa in lucem prodiit.

I A testimonio Valentini Erythræi, qui hoc anno ita eã recitat contra Sacramentarios.

II A fide interpretis illustris V. Co. de Budinghen.

Ac ne oculatorũ testium fides hic à quoquam desideretur, existit & illustre etiamnum clarissimorum virorum testimonium, qui sese profitentur hunc decimum Confessionis Augustanæ articulũ vidisse in autographo Carolo V. Augustæ nomine Protestantium Principum & duarum Ciuitatum oblato, pium atque Catholicis dogmatibus consentaneũ. Sic enim eodem anno 30. eodem tempore Augustæ, quo oblata fuit illa Confessio, in eandem annotatum suis manibus reliquere do-

III Ab oculatorũ testiũ fide, qui originale viderunt & allegãt anno 30.

Originale exẽplar Confeſ. Auguſtanæ ad verbũ congruit cũ Germanico exẽplari à Valent. Aerythræo Cõfeſsioniſta recitato.

ctrina non minùs quàm pietate, fideiq; zelo præclariſſimi viri DD. Arnoldus VVeſalius, & Iohan. Cochlæus libello, cui titulum communi opera fecére, Breuis ad ſingula pũcta Cõfeſ. Auguſtanæ reſponſio. Qua de re fuſiùs via VI. ad concordiam præparatoria idem agit, oſtendens exemplaria impreſſa Confeſ. Auguſtanę nec inter ſe, nec cum originali, inquit, ſcripto C. M. Auguſtæ exhibito per omnia conſonare: ſed originale Auguſto Carolo V. exhibitum habuiſſe ad verbum aſſerit, quemadmodum dudum ex Valentini Erythræi recitatione conuertimus. Sub ſpecie panis & vini verè præſens eſſe in Eucharistia verum corpus Domini.

IIII
A teſtimonio Caſp. Svvencfeldij Ec. Catholicæ hoſtis infeſtiſs.

Quòd ſi fidem hi viri clariſſimi, pietatéque præſtantiſſimi non merentur, quia Catholici (quo tamen nomine in primis fide ſunt digni, qui & Valentini Erithræi Auguſtanæ Confeſſioni congruentia aſſerũt) age Euangelicos ipſos conſulamus; non deerunt ſanè teſtmonia luculentiſſima veritati ſuffragatura. Scribit Caſpar Swencfeldius libello Lauingę Bauarorum ad Danubium, anno ab hinc circiter decimo, nobis viſo, atque ab honeſto admodum ciue illic exhibito, candidéque communicato, aliter hunc 10. articulum fuiſſe illa prima, ideoque vera, Confeſſióne Auguſtana expreſſum, quàm nunc habet.

Cur enim oblatam tunc à Proteſtantibus Carolo V. A. Cõfeſſionem non cenſuerit multis capitibus approbandam, declarauit libello illo, cui titulum fecit Bericht: vbi diſertè annotat, articulum decimum illius oblatæ Carolo A. Confeſſionis Auguſtanæ, eſſe Papiſticum, admiratus quonam pacto in Confeſſionem Proteſtantium fuerit relatus.

V
A diſsidio Legatorum 4. Ciuitatũ Euangelicarum, qui recuſarunt Confeſsioni Auguſtanæ ſubſcribere propter hũc 10. articulum potiſs.

Hoc autem eſſe multò veriſſimum & reliqui Euangelici nõ pauci tunc Auguſtæ in comitiis agentes, in primis verò legati Argentinenſes, Conſtantienſes, Memmigenſes, & Lindauienſes ſuo quoque facto conuincunt. Rogati enim vt cum Principibus Lutheranis ſubſcriberẽt Confeſſioni Auguſtanæ Carolo A. offerẽdæ, deterriti ſingulariter [illegible] ius articuli 10. de Corporis Dominici præſentia, Paniſque Tranſubſtantiatione doctrina (quod & Sleidanus annotauit) ſuæ Euãgelicæ profeſsioni ex diametro contraria, recuſantes ſubſcribere, ſuam quoque exhibuerunt ac ediderunt fidei Confeſſionem, Auguſtanæ

illi

illi diſſentaneam. Quorũ omnium fidem, quod alterius ſint fa
rinæ, puta Sacramentariæ (hîc enim Swinglio tunc temporis
ſuffragabantur Swencfeldius, Bucerus, Capito, & ſi qui erant
Auguſtæ alij) ſi Lutherani iſti Confeſſioniſtæ velint eleuare,
quod tamen quàm indignum facinus fuerit in Euangelicos fra
tres, moneo animaduertant; agedum ipſos Luteranæ doctrinæ
propugnatores primarios appello Brentiũ, Eraſmũ Sarcerium,
Sneppium, in primis verò Chriſtianum Beyer, qui Cõfeſſionẽ
Auguſt. Germanicè recitauit, & ſi qui adhuc ſalui extra horri- VI
biliſſimas triſtiſ. inferni (quò ſciẽtes vidẽtes properant miſeri)
caligines viuũt ſuperſtites; an nõ hæc Catholicorũ doctrina de
panis viniq́ transſubſtantiatione fuerit in Cõfeſsione illa verè
Auguſtana publice corã Carolo V. A. anno 30. oblata atq; per-
lecta? Nõ negabunt, ſcio, modò fronti vlla fides, & ſi quid inge
nui pudoris ſupereſt reliquũ, quod humanæ gloriolę, atq; auli-
cæ gratiæ amittẽdæ metus nõ excuſſerit. Sic enim Lutherum
ſuũ diu admodũ Catholicis hac in parte concorditer ſenſiſſe,
inficiari nõ poſſunt; cũ id liqueat ex manifeſtis eius verbis libel
lo illo execrabili, cui, De abrogãda Miſſa priuata, titulũ finxit:
vbi ſic docet ſuos illos Auguſtinianos monachos, Panem acci-
pit Chriſtus (inquit fol. 253. editione VVittenbergen. anno 51.)
& verbo, quo dicit, hoc eſt corpus meũ, mutat in corpus ſuum,
& dat manducandum diſcipulis. Rurſus eodẽ libello, Iohãnis
VI. panes (inquit fol. 254. ordeaceos benedixit, ſed nõ dixit; hoc
eſt corpus meũ, id eſt, nõ mutauit panẽ in corpus ſuum verbo
virtutis ſuæ. Hæc autẽ fuit veſtri magiſtri, ô Cõfeſsioniſtæ, hoc
de dogmate ſentẽtia, quãdo die omniũ Sanctorũ ſua illa ficti-
tia ex eremo ſuis ſcripſit fraterculis Auguſtinianis, panẽ fuiſſe
à Chriſto Dño in cœna verbo virtutis ſuę in corpus mutatum.

Contestãtur nobis senioresqui-que puri puti Lutheranismi professores, potiss. Christianus Beyer, qui illã in Comitiis Augustanis publicè recitauit.

Lutherum docuisse panis trã substãtiationẽ.

NOTA. Panẽ in corpus suum mutat Christus verbo virtutis suæ, teste Luthero.

Quòd ſi Lutherũ anno 30. aliter ſenſiſſe (quia ſuo à ſpiritu a- VII
liter tunc, atq; plenius, veriuſq́ doctũ fuiſſe) quis audeat impu
dẽtiore ſui Apoſtoli notás inconſtantiã oggãnire; age prodeat
ipſe iſtius Helenæ Auguſtanę, & Cõfeſsionis & Apologiæ ſcri-
ptor Philippus Melanchthon, tunc temporis veri Lutheraniſ-
mi aſſertor primarius, & propugnator, ſi quis alius, inuictus.
Ecquid, obſecro, Philippe, tuus Apoſtolus D. Martinus Luthe.
an. 30. hac de re ſenſit? Quod initio, inquiet, Auguſtani illius

A Philippi Melanchthonis testimonio irrefragabili, qui Cõfeßionẽ August. & scripsit, & apologia propugnauit.

Perlecta coram Carolo V. Augustæ in Comitiis Confeſsio Auguſtana conſentiebat de panis conuerſione, quam apologia multis argumentis tã Græcè quàm Latinè cõfirmauit.

conuentus Proteſtantium nomine fuit propoſitum, & publicè coram Carolo V. A. perlectū. fuit quidem tunc & alterum Confeſſionis Auguſtanæ exemplar mea hac dextra totum deſcriptum, ac plurimorum principū manibus ſubſignatum, eidem Carolo A. traditum, ſed ab illo primo non parum diuerſum atque varium. Iſta verò, inquam, te omnium veriſſimè dicere, Philippe, codex tua ipſius manu haud caſtigatiſſ. perſcriptus, atque principum ipſorum & Legatorum manibus ſubſignatus, Imperatori A. Carolo oblatus perſpicuè teſtatur: qui nobis viſus, atque cum impreſſa anno 31. Confeſſione Auguſtana collatus extat Bruxellæ in Archiuis Cæſareis.

Nota. Hæc verba ex apologia Auguſtana Heshuſius fatetur fraudulenter ſublata. Primū plagium apologiæ Auguſtanæ à degeneribus Confeſsioniſtis patratum.

Cæterùm quod ad hunc articulum 10. qui eſt de S. Eucha. attinet, ecquid, inquam, Philippe, profitebatur Cõfeſſio veſtra illa prima Auguſtana tunc initio propoſita, atque Carolo A. exibita? Quod mea, dicet ſanè, apologia mox conſequuta non ſolum docui, ſed plurimis quoque verbis demonſtraui, diſertè afferens, panis tranſubſtantiationem teſtari canonem miſſæ apud Græcos (ſic enim ad verbum Heshuſius contra Cal. & Bezam fol. N. 3. & Cochlæus in diſcuſſione Confeſſ. Auguſtanæ & apologiæ fol. N. 4. recitant) in quo apertè Sacerdos orat, vt pane mutato, ipſum corpus Chriſti fiat. Et Bulgarius ſcriptor, vt nobis, ait, videtur, non ſtultus, diſertè inquit, panem non tãtum figuram eſſe, ſed verè in carnem mutari. Quare cum apologia tam ſingulari ſtudio hanc panis tranſmutationem in S. Euchariſtia aſtruat, totque veterū PP. teſtimoniis obmuniat, ecquis ambigat, eam fuiſſe illo 10. Confeſsionis verè Auguſtanæ articulo expreſſam?

VIII. Suo indicio perit ſorex.

Ex reliquiis & veſtigiis incorruptæ apologiæ.

Quòd autem fuerit in Confeſsione illa vera Auguſtina, quia prima, hæc doctrina de panis conuerſione in S. Euchariſtia Catholicis conſentiens, vel inde liqueat, quod etiamnum in Confeſsionis apologia, licet adulterata, extat, hunc articulum decimum, qui eſt de S. Euchariſtia, fuiſſe à Theologis catholicis approbatum.

„ Decimus articulus (inquit apologia Confeſsionis Auguſtanæ an. 31. VVittebergæ impreſſa) eſt approbatus: in quo cõfitemur, nos ſentire, quod in cœna verè & ſubſtantialiter adſunt corpus & ſanguis Chriſti. Atqui de hoc non eſt controuerſia: ſed

ſed, an cū pane profeſsi fuerint Proteſtantes adeſſe corpus Domini, vti nūc docent: an potius ſub ſpecie panis & vini? Certè hoc modo & his ipſiſsimis verbis olim habuiſſe illā primigeniā, niſi verius dixeris abortiuā, aut embrionicam, proteſtantiū Confeſsionē Auguſtanā, inde etiam quis haud ineptè colligat, quod etiamnū hodie in operibus Lutheri, Ienę, an. 57. Germanicè impreſsis, ſuperſunt veſtigia, quæ ad hoc demonſtrandū nō omnino videantur abſurda. Extat Tom. 5. fol. 49. Epitome refutationis Catholicorum, quam contra Confeſsionem Auguſtanam Cæſari Carolo quinto exhibuerūt; ea ſic ad articulum decimum reſpondit, ſi ipſis aduerſariis Ieneſibus Theologis fidem quis habendam putet: Articulus hic verus eſt, & Orthodoxus: tamen docendum etiam, quonam modo panis viniq́ue ſubſtātia eſſe deſinat, & in verum corpus & ſanguinem Domini Chriſti **verwandelt wordt**, mutetur atque conuertatur. Norunt enim, aut noſſe debent Principes (nimirum Proteſtantes) ſub alterutra & vnaquaque ſacramenti ſpecie verum corpus & ſanguinem eſſe. Sin minùs, eſſet corpus ſine ſanguine: itaq; mortuum, contra D. Pauli verba, Mors illi vltrà non dominabitur.

Reſpōſio & cēſura Catholicorum ad 10. articulum Confeſſ. Auguſt. an. 30.

»
»
»

VVie des brods vveſen anhoere

Das vnter ieder gheſtalt der vvare leib Chriſti iſt.

Sicquidem ad verbum habet illa confutationis Catholicorum epitome ab ipſis aduerſariis Auguſtæ, anno 30. deſcriptæ ſiue excerptæ, dū Proteſtantibus coram Cæſare perlegebatur. Ex qua perſpicuum eſt, non fuiſſe tunc vllum de ſpecie panis & vini dubium, nedum cōtrouerſum: alioqui enim ſi habuiſſet articulus ille decimus, vti nunc legitur, Cum pane & vino, non fuiſſet habitus verus, nedum Orthodoxus: cùm id ex diametro Concilio Florent. & Lugdunenſi repugnet.

De panis cōuerſione in corpus Domini nō fuit Auguſtę an. 30. diſſenſio cum Proteſtantibus.

Neque tam diligēter admonuiſſent Theologi Catholici de ſubſtantiæ panis mutatione in corpus Domini; item, quonam modo ea eſſe deſinat; niſi ita fuiſſet à Confeſsione Auguſtana profeſſum & propoſitum. Suffragatur & Hiero. Zanchus, apologiam initio probaſſe ſententiam Eccleſiæ Romanæ & Græcæ de corporali Chriſti præſentia in S. Eucha. quæ fit per tranſubſtantiationem.

Quid igitur mirum, fuiſſe decimum hūc articulum à Catholicis approbatum: cum fuerit longè alius, quàm nunc eſt?

In Miſcellaneis fol. 278. 10. articulus an. 30. lōgè alius quàm nunc.

qui non modò est immutatus, sed in aliam prorsus sentētiam deprauatus & adulteratus. Sicuti & Confessionis Augustanæ apologia paucis post annis, immo anno mox consequuto, videlicet trigesimo primo, (ô præclaram Euangelicorum constantiam!) fuit mutilata, deprauata, aliáq; in faciē deformata.

Cōfessionē August. eiusq; apologiā fraudulēter esse mutatā & falsatam.

Quod ita se habere, non mihi, sed ipsis vestris Lutheranis, ô noui Confessionistæ, credite; qui disertis verbis nobis contestantur, non solum apologiam, eiusque testimonia hanc de S. Eucha. doctrinam Catholicis cōsentaneam confirmantia, esse mutatam; sed ipsam quoque Confessionem Augustanam, cuius doctrinam apologia defendendā atq; tuendam susceperat.

A testimoniis superintendentium Lutheranorum, Heshusij & aliorum.

Istud magnis clamoribus planè tragicis exprobrant Illyricus, Amsdorffius, Gallus, & alij Lutherani Lipsensiū & VVittenbergen. Lutheranorū aduersarij, purum putum Lutheranismū variis capitibus demonstrantes esse deprauatū, veréque adulteratū. Moderatiùs agit Heshusius, qui perspicua rei veritate conuictus, ingenuè suorū magistrorum VVittenbergēsiū agnoscit plagiū; quod, amicitiæ quàm veritatis studiosior, extenuans, appellat clandestinam omissionē & tacitam correctionē; sublata esse quiritans nō pauca, nec exigui momenti verba, hanc cōtrouersiā de S. Eucharis. mirificè illustrantia. Sed eius verbis fædam istam deprauatæ apologię lacunam expleamus. Nec bono consilio (inquit libello cōtra Cal. & Bezam, fo. N.3.b.) euidentissimū illud argumentū, de præsentia corporis Christi, ex apologia sublatum est. Sic enim propria editio argumentatur: Cum enim Paulus dicat, panē esse participationem
” corporis Domini; sequeretur, panē non esse participationē cor-
” poris, sed tantùm spiritus, si non adesset verè corpus Domini.

Alterū plagiū in apologiam Confess. Augu. patratum.

Verba primæ apologiæ fraudulēter castrata quiritatur Heshusius: quæ & ipse recitat in sui pernicié.

” Duo hæc tam nobilia plagia cùm Heshusius tam luculentis ipse verbis coarguisset, atque suos magistros VVittenbergen. Theologos legis Corneliæ de adulterio manifestissimè cōuicisset, nō audet tamen adulator veritatem profiteri: sed veteris amicitiæ Deo inimicę, (quia huius mundi fuit, & ex patre mendaciorum diabolo) quàm veritatis studiosior adtexuit, Hæc nō ideo dico, ait, vt authoritatem apologię conuellam. An nō conuellis, immo funditus euertis, Heshusi, apologiæ authoritatē, qui duobus tam insignibus, solidisq; contra Caluinistas Sacramenti

Vt sacrilegia Phil. Melanchthonis aliorūq; suorum magistrorū VVittenbergen. Heshusius adulatoria extēuatione studuerit extenuare.

mentiperdas,aliosq; omnes S. Euchari. hostes,ipsam solis luce clarius orbi demõstras mutilatam,truncatã,adulteratam? Sed ad illam de panis transubstantiatiõe doctrinam ipsissima vera, quia prima,Cõfessione Augustana expressam,& à Principibus, aliisq; Imperij Ordinibus Protestantibus professam reuertatur oratio.Illam ipsam enim Confessioné Augustaná,ne ipse quidé Heshusius,licet inuitus,rei veritate oppressus inficiari nequiuit, esse adulteratam atq; deprauatam;vt vt verbis mitissimis sceleratũ dissimulare atq; extenuare flagitiũ,quò hominibus placeret,studuerit. Vbi enim apologiam professus esset librũ quidé esse vtilem (inquit)Ecclesiæ, sed humanũ scriptum: (rectè sanè ac verissimè,quia hominum mente corruptorum doctrina contaminatum,mendaciis adulteratum,corruptelis variis vitiatũ,atq; à vero genuinoq; suo sensu, vti ipsemet demonstrasti,deprauatũ) tandem imprudens,aut sui immemor, nihil refert,adtexuit,Et vt error(inquiens) in publica Cõfessione admissus reuocandus, ita vera & pia sentẽtia constanter retinenda erat. O magna veritatis vis,quæ vel inuito hostis Ecclesiæ Dei Catholicæ iugulo in lucem erumpit! Errorem hic dicit publica in Confessione Augustana admissum, quod paulò superiùs commentum inuidiosè appellabat Papisticum de panis transubstantiatione: quam tamen suis ipse verbis ingenuè profitetur diserta quidem apologiæ oratione olim defensam, & Græcorum testimoniis confirmatam, sed clandestina (inquit adulator) omissione,& tacita correctione dissimulatã.

VIIII

AbHeshusij testimonio, qui ingenuè, licet inuitus agnoscit errorẽ Confessionis Augustanæ de panis transubstantiatione ab apologia nõ adulterata defensum.

Apologiã Confes. Aug. Heshusius verè appellat humanum scriptum.

Errorem admissum in Confessione Augu. fatetur Heshus. qui fuit de panis cõuersione.

Ad hæc istud Cõfessionis Augustanæ adulterium vel præcipuè demõstrat,quòd ex ipsa etiam illud quorũdam fraude est subtractum,quod principes & ordines Protestantium potissimùm à suis iuratissimis hostibus sacramentiperdis distinguebat;nimirum particula illa decimi articuli Cõfessionis ipsissimæ verè Augustanæ,quæ habuit,Et improbant secus docẽtes. quod emblema sanè nobilissimum etiamnũ extat non solũ in illa Philip. Melãchthonis manu descripta,& principũ ipsorũ, Legatorũq; aliquot Ciuitatũ manibus subsignata autographa Confessione Augustana nobis,vti dudũ diximus, Bruxellæ visa: sed in illa etiã secũda impressione mirè varia ac deprauata, VVittẽbergæ per Georgiũ Rhau.anno 301. à Philippo edita.

Alterũ plagiũ in Confessionẽ ipsissimam Augustanã sacrilegè patratum.

Habuit

Habuit ergo illa vera Germanáque. Confelsio Auguſtana, Carolo V. A. oblata doctrinam de panis tranſubſtantiatione Catholicis conſentaneam: immo tanquã ex verbo Dei (quod habet præfatio) hauſtam, quam noui iſti, immo degeneres Cõfeſsionis Auguſtanę, ſed adulteratę, defenſores, ab Imperij Ordinibus delecti nunc oppugnant, damnant, atque veluti horribilem errorem, (quod inuidiæ cauſa exaggeratum eſt) deteſtantur, execrantur, abominantur.

CAP. XIIII.
Improba Valentini Aerithræi impudẽtia detegitur, qui manifeſtariã Confeſ. Aug. & apologiæ falſationẽ audet dicere bono factam conſilio.

Verùm quia magno illo præiudicio apologiæ ſuæ admodũ ſeſe grauiter premi ſentiunt, quod illa hanc panis conuerſionem ex profeſſo defenderet; omnem mouent lapidem, vt iſta plagia improbiſsimo ſtudio ex apologiæ viſceribus impiè ſublata & euulſa fuco aliquo tegant, & verborum lenocinio pallient. Siquidem hæc quatuor dudum commemorata plagia à Tilmãno Heshuſio ingenuè agnita etſi Valẽtinus Aerithræus perſpicuè animaduerteret mala fide expuncta & ſacrilegè ſuppilata, minus tamen liberaliter hanc rem agit. Recitans enim teſtimonia Græcanicæ Eccleſiæ ab apologia olim commemorata, canonẽ liturgię, qui D. Chryſoſt. nomine circunfertur, allegat. Hic canon cũ diſertis verbis Lutheranã iugularet companationem, ſiue impanationem, aut ſubpanationem, (liceat enim his vti barbaris & portentoſis vocabulis in mõſtroſo iſtorum errore Cycoplica planè audacia cõficto perſtringendo) audet iſte nobilis cenſor annotare, Hũc canonem ſcatere (inquit, quia ſapiunt, vti fatetur, μετȣσίωσιν, ſiue naturæ panis traſmutationem) ſuperſtitione & idololatria ſeu artolatria prorſus papiſtica. Quod ſi verum eſt, ô bone, ecquid eum in tuæ doctrinæ adfers patrocinium? idque in fidei dogmate tãtopere à Caluiniſtis argutis ſanè hominibus exagitato? An nõ vereris, ne illi idipſum tibi tuis verbis reſpondeant, dum hinc probatum vis veram corporis præſentiam, ſuperſtitione ſcatere Canonem Eccleſię Græcę, vnde tuã venaris cõpanationem?

Iundẽ Canonẽ miſſæ Grecanicæ laudat & dãnat Valentinus Aerythræus.

Canone improbato vtitur Aerythræus cõtra ſuos hoſtes Sacramentarios.

Sed videamus, obſecro, Valentine, quanam ſcateat ſuperſtitione. Certè tam id verè dicis, quàm eũdem canonem ais ſcatere artolatria papiſtica. At quidnam ais? an ſatis ſanus tuis videberis? an quid dicas ſatin ipſe perſpicis? Quanã Rhetoricatiõe, obſecro te, mi Valẽtine, tuis perſuaſeris diſcipulis, papiſticam

Calumnia Aerythræi in Catholicos de artolatria, quam Catholici damnamus, quia panem permanere negamus.

cam artolatriam Catholicos ſtatuere aut propugnare? an non hac in re cardo controuerſiæ verſatur? an non eſt maxima doctrinæ noſtræ antitheſis de pane aut ſecundum nos conuerſo, aut ſecundũ vos permanente? An non impudẽtiſſimè igitur teipſe miſer conuincis reum calumniæ, & eius multò maniſeſtiſſimæ? Tu verò videris, ecquid Iohanni à Laſco pro te tuiſq; companatoribus reſpondeas; qui vos iſtius meritò accuſat, adeoque reos peragit artolatriæ: cùm Do. Chriſtum profiteamini eſſe aut in pane, aut ſub pane, aut, quod nunc doctioribus Sophiſtis veſtris magis probari video, cum pane. Sed maiorem reſipit inſaniam, quũ nos idololatriæ accuſas, quòd Chriſtum Do. in S. Euchariſtia præſentem adoramus, diuinoq; honore colimus, reueremur, veneramur. An ſi qua vobis eſt pietatis vel vna mica reliqua (modò corde creditis, quod ore profitemini) Chriſtum in S. Euchariſtia, vt dicitis, præſentem ſumere audetis, nullo miſericordiæ, aut indulgentiæ voto ad eum emiſſo? nulla oratione præmiſſa, quæ aut cum Centurione tanti Domini deprecetur maieſtatem? aut cum Archiſynagogo ſibi exoptet diuini auxilij, cæleſtiſq; gratiæ ſuæ impetrationem? aut denique cum Syropheniſſa miſeræ iſti animæ impleret ſanationem?

Sed hæc animo verè cum plerique omnes faciatis (niſi in Turcas degeneraſtis) cur non & corpore parè liceat Deo Chriſto honorem exhibere? Quid? An non religiosè illud Eccleſiæ noſtræ canticum, Pange lingua, &, Diſcubuit Ieſus, veſtris in Synagogis paſſim boatis? An non & illud, Agnus Dei miſerere nobis, cymbalis cõcrepantibus, accenſis cereis, muſicis modulantibus, organiſq; perſonantibus geniculantes concrepatis? An non Chriſtum Do. & Deum veſtrum (vti ſuperintendens Saxonicus Ioachimus VVeſtphalus contra Iohannem à Laſco fol. g. 2. b. impiè de artolatria accuſatus reſpondet) in S. Euchariſtia præſentem adoratis? idque, vti diſertè ait, ex Chriſti mandato?

Vide ordinat. Ec. Brandẽburg. fol. 157. Item Daniæ & Norvvegiæ.

Non panem, ſed Chriſtum adoramus, quando peragim⁹ ſacrã cœnam. Item agimus quod ille iusſit: ita VVeſtphalus cõtra Iohan. à Laſco fol. g. 2. b.

Certè Bucerus fatetur in colloquio Ratiſpon. hac de re cõcorditer conueniſſe, actorum fol. 173. Hiſce præclaris iſtorum Syneuangelicorũ teſtimoniis vt nihil, Valentine, tribuas, quia inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia; vnde nec inter vos poteſt

esse vnius sententiæ concordia; audi rogo, ecquid vester quintus, si Christo placet; Euangelista hac de re in finem vsque vitæ suæ senserit & scripserit. In venerabili sacramento (inquit anno 45. aduersus articulos Louanien. scribens (**Das man mit allen ehren anbeten sol**) quod omni honore adorandum est. Quod dum facimus, an impium aliquid designamus, aut sacrilegum? Verùm hæc res suo inferiùs loco pertractabitur aptiùs; vbi ex perpetuo Ecclesiarum omniū tam Orientalium quam Occidentalium consensu istud demonstrabitur copiosius, vide ca. 18. Sed nunc ad adulteratę, siue potiùs mangonisatæ apologiæ Confess. Augustanæ excusationem illam redeamus friuolam, quam Valentinus Aerithræus inualidis admodum, ne dicam ficulneis, tueri conabatur ratiunculis.

Lutherus Tomo 8. edit. Ienen. fol. 417. & VVittebergen. Tomo. 12. fol. 340.

Subolescebat homini posse illa dudum commemorata Ecclesiæ Græcanicæ testimonia abs se imprudētiss. in certam sui suorumq; perniciem allegata suspitionem piis lectoribus ingerere de panis mutatione, occurrit igitur salutari, quod opinabatur, antidoto. Hæc addita sunt (inquit Tab. fol. 154. in canonē Græcè Ec.) non quòd per ea approbetur commentitia Papistarum transsubstantiatio seu transelementatio μετουσίωσις ἢ μεταστοιχείωσις, sed vt omnes videant nos nequaquam nouum aliquod dogma defendere, sed receptum à veteri, purioréque Ecclesia sententiam de μυστικῇ παρουσίᾳ καὶ διανεμήσει corporis & sanguinis Christi constanter tueri. At quanā fronte, si modò te vllus pudor ingenuus, aut robur verecundus suffundat, Aerithræe, inficiari audes non approbari per ista Ecclesiæ Græcæ testimonia transsubstantiationem? an quia tu istud Thrasonicè crepas, & impudenter affirmas? Sed penes te non erit huius rei arbitrium. Iudicet æquus bonus arbiter, an non Ecclesia Græca tam noua, quàm vetus, vti ipse recitas, quæ in canone publico suæ liturgię solemniter profitetur transmutari μεταβάλλεσθαι per Sp. sanctum panem in corpus, & vinum in sanguinem Christi, etiam de transsubstantiatione Catholicæ nostræ consentiant doctrinæ?

Aerythręus suo captus laqueo hic rubore suffundatur: modò illi pudor supersit ingenuus.

Canon Ec. Græcæ ab ipso recitatus manifestā habet panis in corpus Domini transsubstantiationem.

Certè ita etiā intellexisse hunc Canonē vestræ apologiæ authorē, à quo fuit & Augustæ anno 30. cū aliis eodē faciētibus allegatus, manifestius est, quàm vt fusiori sit oratione persequendum.

Hūc Canonem missæ Græcæ apologia olim intellexit & allegauit pro trāsubstātiatione.

quendum. Cùm enim Confeßio Augustana Carolo V. exhibita verborum specie hoc in articulo Catholicis consentiret, quod sub specie panis est corpus Domini; hinc factum est, vt hunc articulum 10. non improbarit Cæsarea maiestas, sicuti etiamnum extat in apologia, & fragmento refutationis Catholicæ siue examinis Confeßionis Augustanæ à Cæsare adhibiti. Tom. 5. operũ Lutheri Ienæ anno 57. in lucem edito: quod proculdubio futurum non erat, si verbis, vti nunc, aut sententia discrepasset à doctrina Catholica, quæ constanter profitetur, panẽ spiritus sancti virtute in corpus Domini mutari, conuerti, siue transubstantiari. Quam doctrinam patribus consentaneam, vt magis stabiliret apologia, & se Catholicis hac in re iuxta C. Caroli illo in Confeßionis Augustanæ examine siue refutatione monitũ consentire demonstraret, etiam Bulgarium recitauit; qui disertè ait panem nõ tantum figuram esse, sed verè in carnem mutari. quibus verbis ecquid obsecro dicatur nobis magis consentaneum? Sed tam disertis verbis audet sophisticum illinire fascinum Aerithręus, vt imperitis fucum faciat. Ait nugator, hanc metabolen siue mutationem non esse heterotita siue naturæ elementorum transmutationem; sed alleotita. istis enim Græcis vti placuit vocibus. Rursus, posset hæc loquẽdi formula, inquit, vt mutato pane ipsum corpus Christi fiat, tolerari, si exclusa naturæ panis mutatione de eius singulari vsu, ad quem in hoc sacramento destinatus est, canon loqueretur. Vult ergo mutationem tantum esse mysticam, quod symbola rebus, quas offerũt heniosi mystica, non hypostatica, id est, separabili, non indissolubili, vnũ quiddam esse verè Orthodoxéque credantur. Atqui Orthodoxi Patres istis nouis refragantur somniis, Valentine; dum disertè profitentur, non esse panem, quem natura formauit, quod ait D. Ambrosius.

Ad verũ Canonis Græcanici intellectum stabiliendum allegauit apologia Bulgarium Grçcum.

Sophisma Aerythræi eluditur, quo transmutationẽ panis in corpus conatur in mysticã conuertere mutationem.

Item panem hunc esse natura, non effigie mutatum, quod ait D. Cyprianus. Et ne quis Theophilactũ putet sophisticam Aerithræi stropham admittere, docet apertißimis verbis, panẽ in corpus nõ solũ μεταβάλλεσθαι transmutari: sed etiam μεταστοιχειοῦσθαι transelementari.

Hæc igitur Theophilacti & canonis liturgiæ Græcanicæ

Cur hæc duo testimonia Ec. Græcæ fuissent in apologia Cõfess. August. relinquenda.

Ecclesiæ verba tam liquidò Catholicam doctrinam veréque Orthodoxam nobis cõtestantia fuissent in nobili illa Confessionis August. Apologia relinquenda, quò posteris constaret, quidnam Augustana Confessio verè sensisset, fuissetq; professa eo tempore, quo fuit exhibita, & quænam fuerit vera cõtrouersiarum de fidei dogmatibus, Germanicique istius schismatis causa.

Confessionistarum Theologos verè esse Sophistas ab Aristotelis definitione.

Sed quia callidi quidam sophistæ (quid enim aliud Sophista, quàm ex Aristotel. definitione, veritatis fur?) improbis artibus student illustriss. Principibus & Clementiss. DD. S. Ro. Imperij Ordinibus illudere, verborumque lenocinio fallere, suam doctrinam testamentorum more variant, loca Veterum Patrum verbis & sententiis mutilant, dogmata in aliam prorsus speciem immutant. quod ne quis exempla desideret, de libero arbitrio, de sacramentorum numero, aliisque pluribus fidei capitibus alibi est demonstratum Vt igitur suorum magistrorum doctrinam posteros cælarent, hæc diuina verba Ecclesiæ Græcę canonis Chrysostomiani & Bulgarij ex apologia

Quã pernicioso cum dolo Aerythræus sacrilegum excuset Apologiæ Cõfess. August. adulterium.

» bono consilio (inquit Aerithræus fol. 154.) expuncta sunt, ad ca-
» lumnias stolidorum & maleuolorum dipno-sophistarum de-
» clinandas.

Bono consilio, ait Valentinus, sublata ex apologia quædam loca suis nouis somniis aduersaria.

Bono consilio ait lepidus iste castratæ apologiæ patronus esse expuncta. Certè vt plagiarij solent signa herilia & gnisia delere, ne quid furtiui agnoscatur. Sed quid tuo Heshusio respõdebis, Valentine, qui ingenuè magis, quod res est, audebat profiteri, non bono consilio inter alia istud euidentissimum omnium agumentum de præsentia corporis Christi ex apologia esse sublatum?

Doctrina Cõfessionis August. nunc magis ad Sacramentarios inclinat, propter castratã & adulteratam eius apologiam.

Quanta cõcordiæ foret spes, si Confessio August. eiusq; apologia vulgò extaret incorrupta.

Quiritatur enim libello contra Caluin. & Bezã non pauca, nec exigui momenti verba esse sublata, hanc cõtrouersiam de S. Eucharistia mirificè illustrantia. Quod vti verum est de controuersia, quæ Lutheranis superest cum sacramentariis: ita & de dissidio quod Catholicis est cum Protestantibus. Nã si hęc verba etiamnum extarent in apologia, plures proculdubio hac consensione in tanto fidei dogmate moti funesta isthæc schismata odissent magis. Meministi, Valentine, quidnam amicus ille tuus Hiero. Zanchus, egregius, quod probe nosti, Sophista

Calui-

Caluinista causatus fuerit Argétinæ, cur minùs in Confessionem vestram Augustanam sibi putarit consentiendú, nedum iurandú. Nam disertè in illam annotat, sese articulū illū decimū de præsentia corporis Christi, ait fol. 278. in Miscellaneis, quatenus à Papistis confirmatus est, vt apologia refert, nullo modo probare posse, propterea quòd articulum illum nō alia de causa probarunt Papistæ, quàm quòd iudicarunt ibi statui eam corporis præsentiam, quam & ipsi fingunt; nempe quæ sit per mutationem substantię panis in substantiam veram corporis Christi.

Cur Hiero. Zanchus Argentinę noluerit iurare in Cōfessionem Augustanam.

Cur olim probatus Catholicis decimus Cō fess. Augustanæ articulus.

Proinde, quod etiá apologia probare videtur sententiá pręsentis Romanę & Græcæ Ecclesiæ de corporali pręsentia Christi, ego minimè probare possum: quòd vtraque sentiat non aliter corpus Christi esse præsens, quàm per transubstantiationem. Quare non immeritò mētio canonis, vbi sacerdos orat, vt panis fiat corpus Christi, & sententia Bulgarij, quæ dicit panem in carnem mutari, in posterioribus apologiæ editionibus sublatæ sunt.

Apologia olim probauit sententiá Ecclesiæ Romanæ atq; Græcę de tráſubstátiatione ex aduersarij testimonio.

Huius ergo nō indocti viri exemplo, si vera, si inuiolata, nec à vobis sacrilegè castrata vulgo extaret Confessionis Augustanę prima apologia; aut plures vestram ilicò desererent Synagogam, aut pauciores à nobis ad vos ampliùs deficerent.

Proinde laudanda est Tilmanni Heshusij ingenuitas, liberalique homine digna professio, qua candidè fatetur, errorem hunc in Confessione Augustana admissum, fuisse quidem reuocandum; sed alio scripto publico. Quibus verbis haud obscurè indicat, apologiam non fuisse à posteris degeneribus Confessionistis adulterandam, aut castrandam, sed simili aliquo publico scripto errorem pridem in Confessione admissum fuisse reuocandum. Nam minoris probri loco habet dogma fidei variare, siue, vt ipse loquitur, errorem iu Confessione Augustana admissum reuocare: quàm tam illustria Veterum Patrum testimonia supprimere, immo sublegere, atque sacrilegè suppilare, quæ hanc controuersiam de cœna in primis contra sacramenti-perdas Lutheri hostes infestissimos adeò mirificè illustrant. Sed ex aduerso Aerithræus nouo stratagemate egregius bellator de puluere prodiens illi reclamat, expuncta

Laudanda Heshusij ingenuitas præ inuerecunda Aerithræi impudentia.

Ratio dissidij inter Cōfessionistas de falsata suæ Confessionis August. apologia.

" esse hæc testimonia tam illustria ad calumnias stolidorum de-
" clinandas,qui ἀνακολούτως ex qualibet metabole inferunt me-
" tastoicheiωsin,ac si quis argutaretur, Animal est, ergo homo est.quæ quàm sit insulsa ratiocinatio,vel pueris elementariis in differendi arte,notum est.O argutum dialecticũ, qui ad declinandas stolidorum,vti ait,dipnosophistarum calumnias se miser suis ipse capit verbis. Ex quauis metabole,inquit, inferunt metastoicheiosin. Non ex quauis,ô bone;sed ex hac vna spiritus Sancti propria,omnium rarissima, mystica, diuina; & quæ nullum sibi reperiat exẽplum in natura,omni ex parte respondens.Sic quidem aqua fuit vinum facta in nuptiis: sed eodem verbo & diuina omnipotentia, quibus nunc panis ore Sacerdotis agnus ille conficitur,vt ait Hieron.Hinc mysterium admirati Orthodoxi,aiunt panem ὑπερφυῶς supernaturaliter in corpus Christi μεταβάλλεσθαι transmutari, μεταποιεῖσθαι trãsformari,& μεταστοιχεῖσθαι transelementari; siue vt nunc vsitata longi tẽporis voce loquimur,transubstantiari.De voce enim non laborandum,quando de re conuenit;immo rebus nouis semper,ex Ciceronis consilio,noua sunt fingenda vocabula, quemadmodum Homo-ousion,& Theotocos aliaque testantur,quæ insana & indomita hæreticorum peruicacia Orthodoxos coëgit obscuris rebus planiùs explicandis effingere atque conformare.

Ridiculæ Valẽtini nugę sophisticæq; technæ eluduntur.

Suis se ipse capit verbis Valẽtinus.

Alio suo telo se iugulat ipse Valentinus.

Simili planè impetitia incautus iste Confessionis Augustanæ adulteratæ atque castratæ palliator ex Spalatino suo refert, quòd degeneres suos Confessionistas haud leuiter sauciet,ac seipsum.

Ex Spalatino recitat Germana Cõfessionis Augustanæ verba: quæ bono dicit cõsilio sublata: sed quod protestantes suis cõmisceat aduersariis Sacramentiperdis.

Plagia Confessionis Augustanæ atque apologiæ dumtuetur bono facta con-

Nam illam doctrinæ Lutheranæ antithesim, Et improbant secus docentes;quæ nunc expuncta est,affirmat & testimonio probat fuisse adiectam exhibitæ A. Carolo V. Confessioni. Citat enim Valentinus fol. 13. Georgium Spalatinum ex Tomo S. Ienensi fol. 58. fuisse in singulis articulis pugnantes & erroneas opiniones & hæreses, vt Sacramentiperdarum, & Anabaptistarum, & cæt. reiectas & improbatas. Istud certè non leue argumentum fuerit ad Confessionis Augustanæ Carolo V. exhibitæ deprauationem euincendam: cum iam sublata illa suæ doctrinæ antithesi in omnem facilè formam instar

ſtar cothurni cuiuis aptetur pedi: adeò vt vel Caluiniſtæ ex diametro illi diſſentientes nihil modò amplius iactare dubitent, ſeſe Confeſſ. Auguſtanæ eſſe profeſſores, ſuæque doctrinæ perbellè cum ea conuenire, vnde Iohan. à Laſco & alij ſuam Sacramentariam impietatem Auguſtanæ Confeſſ. verbis nunc audent exornare atque conſtabilire. Sed miſſum faciamus hunc Valentinum ſuæ Confeſſionis Auguſtanæ turpiter mangoniſatæ inualidum propugnatorem.

ſilio Valētinus, nō mediocriter Sacramentariis patrocinatur: qui ſe nunc ea caſtrata & adulterata iactāt veros Confeſsionis Auguſt. profeſſores.

Quò verò magis demonſtretur hanc panis in corpus Domini conuerſionem fuiſſe tempore Confeſſionis Auguſtanæ Carolo V. exhibitæ certam & indubitatā Philippo Melanchthoni eius authori, nunc paucis exponere, non fuerit inutile, nequid hereat ſcrupuli in animo lectoris candidi, qui verā exhibitæ olim Auguſtanæ Confeſſionis profeſſionē atque fidem cognoſcere deſiderat.

CAP. XV.

Melanchthonē anno 30. defendiſſe panis tranſubſtantiationē libello contra Oecolampadiū.

PORRÒ Melanchthonem quoque illo editæ atq; oblatæ Confeſſionis Auguſtanæ tempore Catholicis de panis tranſubſtantiatione concorditer ſenſiſſe, ſatis ſuperque ille aduerſus Oecolampadium anno 30. editus libellus doceat, vbi varia Veterum Patrum accumulauit teſtimonia, non modò veritatem corporis Domini in S. Euchariſtia realiter præſentis contra Sacramentarios Catholicis concorditer confirmantia; ſed panis etiam conuerſionem in corpus Domini luculenter admodum conteſtantia.

Hæc Patrū teſtimonia valde vrget Vnicornius contra Sacramētarios, lib. de iudicio Melanchthonis.

Nam ex D. Cypriano, Irenæo, Hilario, Auguſt. Cyrillo, Ambroſio, Chryſoſtomo, Vulgario, & cæt. demonſtrat, hoc cōmuniter Eccleſiam ſenſiſſe nobiſcum, quod iſti ſcripſerunt: id eſt, corpus & ſang. Domini, nō modò verè adeſſe in cœna, ſed etiā panis conuerſionē, mutationem, ſiue tranſubſtantiationem. Sic enim recitat eo loco Melāchthō ex Chryſoſt. in cap. 26. Matth. homil. 83. Non ſunt humanæ virtutis hæc opera: quæ tunc in illa cœna confecit, ipſe nunc quoq; operatur, ipſe perficit. Miniſtrorum nos ordinem tenemus; qui verò hæc ſanctificat & tranſmutat, ipſe eſt. Rurſus ex Vulgario in Matth. & in Marcum Græcè & Latinè. Non enim figura tantum & exemplar quoddā Dominici corporis eſt panis, ſed in illum conuertitur corpus Chriſti. deinde paulò inferius: Idcirco miſericors Deus noſtræ

Chriſtus ſanctificat hodie & mutat panem.

nostræ infirmitati condescédens speciem quidem panis & vini seruat, in virtuté autem carnis & sanguinis transelementat.

Panem esse natura mutatum.

Similiter ex Cypriano, Panis iste nó effigie, sed natura mutatus omnipotentia factus est caro. Deinde D. Ambrosij doctrinam de panis transubstantiatione in corpus Domini plurimis eius verbis confirmatam conclusurus, adiecit Melanchthon, Hæc tam longa (inquit) recitatio exemplorum ostendit authorem (Ambrosium) sensisse panem non esse tantum signum, sed naturam panis mutari. Denique præsentem contra sacramentarios conclusurus controuersiam, quæ vniuersæ (inquit) Ecclesiæ ac toti Imperio minatur horribilé mutationem, adtexuit, Ego itaque sequor veteris Ecclesiæ sententiam, quæ affirmat, adesse corpus Christi in cœna, ac iudico hanc habere scripturæ testimonium. Non enim inuenio firmam rationem, cur nomine corporis in verbis cœnæ oporteat tantum absentis corporis signum intelligi.

Naturam panis mutari, docet D. Ambrosius.

Catholicã Dei Ecclesiã habere suæ de S. Eucharistia doctrinæ Scripturarũ testimonia & Veterũ Patrũ sententiã, aiebat anno 30. Philipp. Melanchthon.

Qui Epilogus Melanchthonicus etsi tantum veram profiteatur fidem de vera & substantiali veri corporis Domini in sacramento præsentia: tamen ex iisdem illis veterum PP. sententiis etiam doctrinam de panis in corpus Domini conuersione esse obtinendam, iam demonstrabitur pleniùs. Quare illis paucis Orthodoxorum PP. testimoniis à Philippo contra Oecolampadium anno 30. productis, erunt nunc oportunè & plura adiungenda, ac quasi succenturianda; quò semel omnibus sit perspicuum, Germanos Protestantes, seu potius nouos Confess. Augustanæ professores à perpetuo PP. Orthodoxorũ consensu post veram Confessionis re vera Augustanæ doctrinam turpiter suorum fraude, ac malo quorundam præstigiatorum dolo defecisse: meramque esse istorum nouorum Confessionis Augustanæ adulteratæ ac deprauatæ defensorum calumniam, qua Catholicos in Concilio Latheranen. aiunt fol. 56.
„ contra Conciliorum authoritatem, contra manifestam S. scri-
„ pturæ doctrinam, contra Christi institutionem horribili erro-
„ re transubstantiationem inuexisse & approbasse.

Catalogus Orthodoxorũ Patrum de panis viniq; in corp⁹ Domini cõuer-

Quod igitur de diuina illa mystici panis in Christi corpus mutatione siue conuersione tradiderunt concorditer Cyprianus, Ambrosius, Chrysostomus, Vulgarius, à Melanchthone

dudum

dudum recitati, idem & reliqui Patres Orthodoxi crediderunt, & Catholicæ Dei Ecclesiæ tradiderunt. ſione, mutatione, diuináq; trã ſubſtãtiatione.

Vnde hanc telam ab ipſo ſuo Apoſtolicæ doctrinæ primordio exorſi per ſingula ſecula proſequemur.

Apoſtolos panem in Domini corpus virtute diuina per conſecrationem commutari, ſiue conuerti docuiſſe, verbis liturgiarum Apoſtolicarum, quas ſcriptores Græci vetuſtiſſimi S. Proclus Conſtantinopol. Nicolaus Metonen. & alij, adeoque Concilium Oecumenicum VI. Cano. 32. pro Apoſtolicis nomine D. Iacobi & Clementis Ro. recitarunt, manifeſtiſſimè conuincitur. Concil. VI. miſſam D. Iacobi allegar.

Orat enim in liturgia D. Iacobi ſacerdos poſt verba conſecrationis, vt Spi. ſanctum demittat in dona propoſita, vt ſuperueniens ſancta, & bona, & glorioſa ſua præſentia ſanctificet & efficiat hunc panem corpus ſanctum Chriſti ſui, & calicem hunc pretioſum ſanguinem Chriſti ſui. Anno Do. 50. Sp. ſanctus panem efficit corpus Chriſti.

In liturgia etiam Apoſtolorum nomine à Conc. VI. Oecumenico Cano. 32. recitata, item à Græcis doctiſſ. VV. S. Proclo Conſtantinopolitano, Nicolao Methonen. epiſcopo, & Mario Archiepiſcopo Epheſino celebrata ſic legitur: Et mittere digneris ſanctum tuum Spiritum ſuper hoc ſacrificium, teſtem paſſionum Domini Ieſu, vt efficiat panem hunc corpus Chriſti tui, & calicem hunc ſanguinem Chriſti tui.

D. Cyprianus Chriſtianis auditoribus cæleſte hoc expoſiturus myſterium, ſuam illius Apoſtolici ſeculi fidem his verbis declarauit, Panis iſte non ſpecie, inquit, ſed natura mutatus, omnipotentia factus eſt caro. Anno 220. D. Cyprianus. Panis natura mutatur.

D. Cyrillus Ieroſolymitanus Epiſcopus Myſtagogica Cate. 4. diſertè docet, argumentisq; nõ leuibus demonſtrat, vinum in cœna Chriſtum Dominũ μεταβάλλειν εἰς αἷμα tranſmutaſſe in ſanguinem. Rurſus paulò poſt, ταῦτα μαθὼν καὶ πληροφορηθεὶς ὡς ὁ φαινόμενος ἄρτος οὐκ ἄρτος ἐστιν, εἰ καὶ τῇ γεύσει αἰσητὸς, ἀλλὰ σῶμα χριστοῦ. καὶ ὁ φαινόμενος οἶνος οὐκ οἶνός ἐστιν εἰ καὶ ἡ γεῦσις βούλεται τοῦτο, ἀλλὰ αἷμα χριστοῦ. hæc ſciens, inquit, & illud perſuaſiſſimũ indubitatiſſimumq; habeas, panem hunc qui apparet, non eſſe panem, tametſi guſtus corporalis panem eſſe ſentiat & iudicet: Vinum etiam, quod oculis videtur, etſi guſtus vult atque cen- Anno 300. D. Cyrillus Ieroſol. Panis qui videtur & guſtatur, non eſt panis.

ſet eſſe vinum, non eſt tamen vinum, ſed ſanguis Chriſti.

Euſeb. Emiſſen. Euſebius quoq; Emiſſenus ho. 5. in paſcha, Terrena & mortalia dicit commutari & conuerti. rurſus viſibiles creaturas conuerti verbo ac virtute ſpiritus in ſubſtantiam corporis Chriſti. Deinde ſub finem: Nec dubitet quiſquam primarias creaturas nutu potẽtiæ, præſentia maieſtatis in Dominici corporis tranſire poſſe naturam, cum ipſum hominem videat artificio cæleſtis miſericordiæ Chriſti corpus effectum. Ac mox: Quid mirum autem eſt, ſi ea quæ verbo creare potuit, poſſit creata conuertere & in melius commutare?

Creaturæ mutãtur & in melius conuertuntur.

Anno 360. D. Baſilius. Sic & D. Baſilius in liturgia orat, vt adueniens Spiritus ſanctus propoſita dona μεταβαλλῶν tranſmutet in corpus Chriſti.

Gregor. Nyſſen. Ad eundem modum & D. Gregor. Nyſſenus, Quamobrem rectè nunc etiam, inquit Sermo. Catechiſt. apud Euthymium in Panoplia, & apud Beſſarionem de verbis conſecrat. Dei verbo ſanctificatum panem in Dei corpus credimus immutari. Item paulò inferius, Panis ille (in altari) per verbum Dei & orationem ſanctificatur, non quia comeditur eo progrediens, vt verbi corpus euadat, ſed ſtatim per verbum in corpus mutatur à verbo.

Panis in corpus immutatur.

Anno 380. D. Ambroſ. Ambroſ. libr. de his, qui initiantur cap. 9. Non eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit. Benedictione enim ipſa natura mutatur. Rurſus lib. 4. de Sacra. cap. 4. Sed panis iſte panis eſt ante verba Sacramẽtorum: vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Et inferius, Vides ergo quàm operatorius ſit ſermo Chriſti, vt ſint quæ non erant, & in aliud commutentur?

Panis in aliud cõmutatur operatorio Dei verbo.

Anno 400. D. Chryſoſto. D. Chryſoſtomum eadem fuiſſe ſententia locus dudum allegatus euincit, Nos miniſtrorum ordinem tenemus (inquit homil. 83. in Matth.) qui verò hæc ſanctificat & trãſmutat, ipſe eſt. Similiter in liturgia orat, vt Sp. ſanctus adueniat μεταβαλλῶν transmutans illa viſibilia in corpus Chriſti. Vnde, & homil. de Enceniis, ait abſumi panem.

Panis mutatur & abſumitur.

Anno 410. Hieron. Eodem facit quòd D. Hiero. in Marcum habet, vti Ioachimus Perionius recitat: Accepit Ieſus panem, & benedicens fregit, transfigurans panem in corpus ſuum.

Anno 415. Auguſtinus. D. Auguſtinus contra Fauſtum de hoc myſterio diſputans, Noſter

Noster panis (ait lib. 20. cap. 13.) & calix non quilibet, sed certa consecratione mysticus fit, non nascitur. Item de Trinitat. 3. cap. 4. Illud corpus Christi dicimus, quod ex fructibus terræ acceptum & prece mystica consecratum ritè sumimus ad salutem spiritalem in memoriam pro nobis Dominicę passionis. Quod cum per manus hominū ad illam visibilem speciē perducitur, non sanctificatur vt sit tam magnum sacramentum, nisi operante Spiritu Dei.

Eucharistiæ panis nō nascitur: sed fit certa consecratione.

Vnde & Serm. 28. de verbis Domini: Iam non est panis, sed corpus Christi. Sic & D. Hesychium presbyterum, D. Gregorij Nazianz. discipulum credidisse testatur locus ex Com. in Leuitic. lib. 2. cap. 8. Illud enim quod ex 70. editione legitur exponens, Addet quintam eius super eo, & dabit sacerdoti in sanctuarium. Sanctificationem enim mystici sacrificij (inquit) & à sensibilibus ad intelligibilia translationem & cōmutationem ei, qui verus est sacerdos, videlicet Chri[illegible]o, oportet dari: id est, ipsi de eis miraculum cedere & imputare, quia per eius virtutem & prolatum ab eo verbum quæ videntur tam sanctificata sunt, quàm cunctum carnis excedunt sensum.

Anno 420. Hesychius Nazianz. discipul.

Commutatio sensibilium.

D. Proclus Constantinopolitanus originem missæ, siue Sacrosanctæ liturgiæ, vbi Apostolis acceptam ferendā docuisset, testatur ipsos multis decantatis precibus diuinum numen impensè orasse, Per quas, inquit tractatu de Traditione liturgiæ, Spiritus sancti aduentum expectabant, vt eius diuina præsentia propositum in sacrificio panem & vinum aqua permistum ipsum illud corpus & sanguinem seruatoris nostri efficiat.

Anno 430. D. Proclus Constant.

Spiritus S. efficit panem Christi corpus.

Quòd si D. Cyrillum Alexandrinum audire non grauabimur, luculētum sanè huius rei dabit testimonium. Postquam enim eos refutasset, insanire affirmans, qui mysticam benedictionem εὐλογίαν, siue S. Eucharistiam à sanctificatione cessare docebant, si quæ eius reliquię in diem sequētem remanserint. Ne horreremus (inquit epistola ad Calos. Episcopum) carnem & sanguinem sacris apposita altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis.

Anno 440. Cyrillus Alex. Panem conuertit in veritatem carnis.

Idipsum & D. Theodoretum verè sensisse facilè perspiciat, quisquis totam illam Dialogi 2. disputationem animo cōprehende-

Anno 450. D. Theodoretus.

henderit, ſcopumq́; diligenter animaduerterit. Cùm enim demonſtrare vellet corpus Chriſti poſt reſurrectionem verè manere humanũ corpus,non conuerti in deitatem, ſed ea adimpleri,id euidentiſſimè demonſtrat exemplo ſacræ Euchariſtię,cuius ſymbola panẽ & vinum ex ſua & aduerſarij ſentẽtia docet poſt ſacroſanctam Sacerdotis inuocationem ſiue Cõſecrationem μεταβάλλεσθαι καὶ ἕτερα γίνεσθαι, commutari & alia fieri;quod tam perſuaſum fuit aduerſario,vt inde ſophiſticè colligeret,eundem in modum & Chriſti corpus in diuinitatem eſſe mutatum,ſicuti panis in corpus proculdubio, inquit, eſt conuerſus. Sed eum ſuis captum retibus oſtendit Theodoretus. Quanquam enim panis ſit facta conuerſio,non tamen tota eius mutatur per conſecrationem natura. Non enim ſigna myſtica(inquit) à ſua natura recedũt,ſup.omnino ita, vt nihil naturæ maneat, putà prior naturalis figura, & naturalis ſapor & nutriendi vis: quæ prioris naturæ ſunt, ideoq́; nomine ſubſtantiæ prioris eas Theodoretus intelligit,dum addit, manent enim in priore οὐσία ſubſtantia.qualem autem intelligat naturam,explicat per duas continenter ſubiectas illas voces,& figura,inquit,& forma,quas prioris naturæ qualitates ait & videri & tãgi poſſe,ſicuti & prius. Itaque,quod carnali iudicio de rerum diſtinctione ſatis eſt,manet ſubſtantia prior: ſed aliud verè eſſe facta illa myſtica ſymbola,addit Theodor.ſubiiciẽs: Intelliguntur (inquit) & creduntur,& adorantur ea eſſe,quæ facta ſunt,vt quæ illa ſint,quæ creduntur. Sunt ergo ſymbola illa panis & vini poſt conſecrationẽ verè corpus Domini facta, & in illud eo modo conuerſa,ſicuti aduerſarius contẽdit corpus Domini eſſe in Deitatem conuerſum: ſed ita,vt maneant illa naturæ indicia,ſiue elementa,atque, vti philoſophi appellant, accidentia,color,ſapor,figura & nutriendi vis; quæ naturã panis omnino,hoc eſt,veras naturæ qualitates,citra tamẽ verã panis ſubſtantiam,ſiue eſſentiam, ſupernaturaliter nobis repræſentãt,& ineffabiliter piis loquuntur: quia diuina ope ſubſiſtere,adeoq́; operari deprehenduntur. Hæc ideo diffuſiùs erant explicanda,quòd hunc maximè locum rerum ipſarum in primis arduarum,veréque diuinarum obſcuritate perplexum, & data opera intricatum, Mart. Kemnicius contra Concilij Trident.

Panis & vinum Theodoreto mutantur & alia fiunt.

Demonſtratio mutati & tranſubſtantiati panis in corpus Chriſti ex aduerſarij argumento inuicto.

Signa ſiue ſymbola S. Euchariſtiæ non omninò à natura ſua recedũt, licèt ſit in aliud conuerſa.

Natura Theodoreto eſt permanens prioris naturæ qualitas ſapor & figura. Symbola mutata adorantur, quia creduntur eſſe, quod facta ſunt.

dent.decreta vrget improbè: cùm Theodor. & 1. & 2. dialogo propter prophanos auditores,qui in coronam circũstare videbantur,disertè profiteatur, mystica fuisse mysticè explicanda. Quod ita obseruat,vt disputationis tamẽ scopo conuenienter obscuriora isthæc atq; verè ænigmatica promẽs exẽpla satis indicet,ecquid de panis in corpus Christi cõuersionem senserit.

Cùm enim dixisset dialogo 1. Christum corpus suum appellasse triticum & panem,addit,Volebat enim eos, qui sunt diuinorum mysteriorum participes,non attendere naturam eorum,quæ videntur,sed propter nominum mutationem, mutationi,quæ fit ex gratia,credere. Vides igitur fieri in mysteriis symbolorum mutationem, sed per gratiam,siue consecrationem,quam fides docet ex verbi diuini omnipotentia intueri: non ea spectanda,quæ oculi vident,cernunt,& iudicant,sicuti planiùs 2. dialogo explicat. Quod autem subijcit,non naturam mutans, sed naturæ gratiam: non tollit panis in corpus Christi conuersionem,vti Kemnicius contendit,quia hoc adiecit, non ad negandam conuersionem rerum substantialem, quam disertis verbis prius statuit, sed tantum causam exponens cur carnem suam Dominus appellarit triticum & panẽ: Item cur se ipse appellarit vitem. Quia igitur hæc tria symbola, siue sacra & mystica signa copulat, aliam proculdubio spectauit mutationem, quàm nunc est in manibus; puta allegoricã,quæ alia est ab ista mystica, quæ in sacrosanctis propriè peragitur mysteriis per diuini spiritus operationem, sicuti D.Gelasius pleniùs explanat, de cuius verbis mysticæ huic substantiarum panis & vini in corpus Domini conuersioni nihil aduersantibus dicetur paululum postea aptiùs.

Cur D.Theodoretus de sacris Eucharistiç symbolis alicubi duriùs ac physicè magis, planéq; crassiùs loquatur; vti postulabat circumstãs auditorũ paganorum corona, coram qua hæc dialogorũ disputatio fuit habita.

Eũdem in sensum & Euthymius Sigabonus Eremita,Oportet non ad naturã eorum quæ præponuntur (inquit in Matth. c.64.aspicere,sed ad virtutem eorum. Queádmodum enim supernaturaliter assumptam carnem (ita dixerim) deificauit: ita & hæc ineffabiliter transmutat in ipsum viuificum corpus suum,& in ipsum sanguinem suum pretiosum.

Anno 480. Euthymius.

Ineffabiliter panẽ transmutat.

Idem & Galliam ante annos mille sensisse atque credidisse vnus D.Remigius Rhemensis Francorum Occidentalium in Gallia Apostolus disertè contestatur: Caro, quam assumpsit

Anno 500.

D.Remig.

verbum Dei Patris (inquit Cõment. ad 1. Cor. 10.) in vtero Virginali in vnitate suæ personæ, & panis qui consecratur in Ecclesia vnum corpus Christi sunt. Sicut enim illa caro corpus Christi est; ita iste panis transit in corpus Christi, nec sunt duo corpora, sed vnum corpus. Diuinitatis enim plenitudo, quæ fuit in illo, replet & istum panem.

Non duo sunt corpora in S. Eucharistia, sed vnum fiunt corpus, panis & caro Virginis.

In eandem sententiam & D. Iohan. Damascenus istam admirandam rerum conuersionem explicat. Quemadmodum naturaliter panis ipso esu (inquit lib. 4.) & vinum atque aqua potione in corpus & sanguinem edentis & bibentis vertuntur, efficiũturq; diuersum corpus ab eo quod prius erat ipsius: sic panis qui proponitur, & vinum cum aqua per Spiritus sancti inuocationem atque aduentum ὑπερφυῶς μεταβάλλονται, supra naturam in Christi corpus & sanguinem transmutãtur; nec duo, sed vnum idemque sunt corpus.

Anno 700. Iohan. Damascenus.

Supernaturaliter panis transmutatur.

D. Germanus Constantinopolitanus in sua rerum Ecclesiasticarum Theoria testatur Sacerdotẽ in altari obsecrare Deũ, vt cõficiatur mysterium filij eius, & fiat siue transmutetur ipse panis & vinum in corpus & sanguinem Christi & Dei. Vnde & Spiritus sanctus (inquit) beneplacito Patris & voluntate filij inuisibiliter præsens submonstrat diuinam cõfectionem, & manu sacerdotis obsignat & trãsmutat, & cõficit proposita sancta dona in corpus & sanguinem Domini Iesu Christi.

Anno 740. D. Germanus Constantin.

Sic & Georgius Pachymeres paraphrasi in D. Diony. Areopagitã Ecclesiæ Græcanicæ fidẽ luculenter admodũ exponit. Quod enim D. Areopagita dixerat propter temporũ iniquitatem obscuriùs, ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, consecrat Sacerdos illa diuinissima, explanauit Paraphrastes, ὁ ἱεράρχης πρὸς ἐκεῖνα τὰ πρωτότυπα αὐτὸ τὸ τοῦ κυρίου τίμιον σῶμα καὶ αἷμα ἀνάγεται, πιστεύων ὅτι καὶ τὰ προκείμενα εἰς ἐκεῖνα μεταβλήθησαν τῷ ἁγίῳ καὶ παντουργῷ πνεύματι. Sacerdos ad illa (inquit) prototypa, scilicet preciosum ipsum Domini corpus & sanguinem deducitur: siue ad illa primigenia mysteria accedit, credens illa quæ fuere proposita siue oblata in illa, per sanctum & omnia operantem spiritum esse transmutata.

Georgius Pachymeres.

Panẽ per Spiritum sanctũ trãsmutatũ in corpus Christi credit.

Sed vt hunc tandem testimoniorũ catalogũ concludamus, vnus recitandus erit Theophilactus, qui & à Melanchthone recitatus

Anno 770. Theophilact.

recitatus diſertè affirmat panem ineffabili operatione (inquit in Matth.cap.26.) in corpus Domini mutari, etiam ſi nobis videatur panis. Rurſus in Marcum, cap.14. Deum ſpeciem quidem panis & vini ſeruare (ne abhorreamus ab eius vſu) ſed in virtutem carnis & ſanguinis tranſelementare, ſiue μεταςοιχεῖν, quod eſt rerum elementa, ſiue principia & ſubſtãtias transformare atque tranſmutare, quum ante dixiſſet, Panem non eſſe figurã corporis Dominici, ſed in illud ipſum μεταβάλλεσθαι trãſmutari; cum Chriſtus dixerit, hoc eſt corpus meum, hoc, inquam, quod νῦν nunc ſumitis: quam voculam Oecolampadius ſacrilegè detraxit. Porrò in Iohannem cap.6. idem planiùs exponit, μεταποιεῖται γὰρ ἀπορρήτοις λόγοις ὁ ἄρτος οὗτος διὰ μυστικῆς εὐλογίας, καὶ ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος εἰς σάρκα τοῦ κυρίου. Arcanis enim verbis (inquit) panis iſte per myſticam conſecrationem & Spirituſſancti aduentum transformatur in carnem Domini: quemadmodum dum hic viueret panis comeſtus in verum ipſius corpus conuertebatur, illud nutriens atque conſeruans.

Panis tranſelementatur, mutatiſque naturæ principiis fit Chriſti corpus.

Priſcam igitur Eccleſiam ab Apoſtolorum vſque temporibus tam Orientalem quam Occidentalem, tam Græcam, quàm Latinam, hoc fidei dogma de panis in corpus Domini conuerſione, mutatione, ſiue tranſubſtantiatione tenuiſſe, manifeſtiſſimis demonſtratum eſt veterum Orthodoxorum Patrum teſtimoniis, ac nequis de poſterioris ætatis Eccleſia Græca, ſiue Orientali, dubitandi ſit locus, in Concilio Lateranen. concorditer, tam ex Græcorum & Orientalium, quam Latinorum & Occidentalium ſententia definitum eſt, panis ſubſtantiam in corporis Dominici ſubſtantiam diuina virtute conuerti.

Conſenſus totius Eccleſiæ tã Oriẽtalis quàm Occidentalis de panis in corpus Domini trãſubſtantiatione ex Conciliis generalibus.

Concil. Lateranen.

Cui concilio Oecumenico cũ interfuerint Patriarchæ, ipſi quidem Conſtantinopolitanus & Ieroſolymitanus: per legatos verò Antiochenus & Alexandrinus; quiſnam de Græcorum ſiue Orientalium conſenſu meritò dubitarit?

Similiter in Concilio Florentino inter Latinos & Græcos optimè de re ipſa conuenit, id eſt, de tranſubſtantiatio-

Concil. Floren.

tiatione panis in corpus Domini, quemadmodum ex actis liquet: vbi Ioseph Patriarcha suo Chyrographo moriturus testatum, immo testamentum facit, per omnia suam fidem cum Catholica & Apostolica Romana fide congruere. Bessarion & Marcus Ephesinus, aliique non de re ipsa, id est, de vera veri corporis Dominici in S. Eucharistia præsentia, neque de panis in corpus Domini conuersione, siue transubstantiatione dissentiebant, quam suis libris etiánum extantibus defendunt; sed tantum quæstio superfuit, quibusnam S. Missæ verbis illa fieret.

Cùm igitur vna esset omnibus hac de re fides, fuit & vna omnium nomine, fidei Catholicæ & Apostolicæ formula præscripta, quæ aptissimis verbis docet, virtute verborum Christi à Sacerdote in ipsius persona pronunciatorum substantiam panis in corpus Christi, & substantiam vini in sanguinem Christi conuerti.

Consensus hac in parte hæreticorum cũ veteri tota Ecclesia.

Neq; enim soli Catholici, sed & qui partim fuerũt aliis peruersis dogmatibus infecti, eandem hanc fidei Christianæ doctrinam obtinuerunt.

Iohan. Hussus negat manere panem materialem.

Ad Germaniã nostrã ad Catholicorum consensum reuocãdam magnam sanè vim habeat, quod & Iohannes Hussus ipse disertis verbis docet, post consecrationem manere panem non materialem; sed panem illum cælestis vitæ. Nam Christus (inquit apud Iohan. Pezibramum lib. de non remanentia panis) verbi sui ineffabili virtute, panem & vinum transubstantiat in propriam carnem & sanguinem. Hinc & in carmine de cœna Domini, To. 2. fol. 348. quemadmodum videre est apud Iodocum Hockerium lib. de Sacramento altaris, sic legitur:

Notent istud Confeßionistæ: Non est panis, sed est Deus.

Aue deitatis forma,
Dei vnionis norma,
In te quisque delectatur,
Qui de fide speculatur.

Non est panis, sed est Deus,
Homo, liberator meus,
Qui in cruce pependisti
Et in carne defecisti.

Similiter & Hieron. Pragensis, rogatus de pane post consecrationem, an maneat, respõdit, teste Poghio Florentino epist. ad

ad Leonem Atetinum, apud pistorem remanere panem. Sic & Lutherus scripsit, Christum Do. verbo virtutis suæ panem in corpus suum mutasse, De abroganda missa, fol. 253.

Hierony. de Praga videt panis permanentiam. Lutherus docet Christũ panẽ in corpus mutasse.

Hanc igitur panis mystici in corpus Domini omnipotentia sua, vti D. Cyprianus, siue verbi sui virtute, vti Iohan. Hussus & Lutherus vester dudum notauit, conuersionem siue mutationem tot Orthodoxorum Patrum, adeoq; Lutheri & Confessionis ipsa re Augustanæ, nec non suæ apologiæ testimoniis stabilitam meritò fuisse in fidei articulos & à Concilio Tridentino, sicuti & olim à Lateranen. & Florẽtino, referẽdam videt, quisquis saluberrimã conciliorũ Ecclesiasticorũ authoritatem probè perspectã habet; quæ in primis valet ad temerè accensa doctrinę Christianæ dissidia sopienda atq; semel extinguenda.

Transubstãtiatio, cur in fidei articulos fuerit referenda.

Quanquam autem Concilio Lateranen. primum hæc quęstio legitur definita; non tamen idcirco existimandum, nihil certi Ecclesiam in illud vsque tempus hac de re tenuisse. fuere quidem quibus aliter olim impunè videbatur: sed donec Ecclesiæ accessit definitio; quæ huiusmodi perplexis in rebus suũ sub anathemate non pronũciat iudicium, nisi vbi erroris perniciosi periculum suadet lectissimas Christi oues contagio impendenti tempestiuè eripere, ac veluti amuleto præseruare.

Neque verò recensita illa nobis dudũ PP. Orthodoxorum testimonia mutationem solum efflagitant, aut euincunt etiam Sacramentalem: videlicet, vt permanente tota rerum natura, solum accedat quod post consecrationem panis & vinum cõiuncta sunt cum vero & substantiali Christi corpore & sang. ideoque nõ amplius sit communis panis (quod audaculus ille Gygantæa planè temeritate examinator Concil. Tridentini Martinus Kẽnicius stolidissimè nugatur) sed disertè panis naturã mutari, substantiam conuerti & trãsire, adeóque transelementari supernaturaliter in corpus Christi, Patres Orthodoxi docent tã Oriẽtales, quàm Occidẽtales. Minimè enim verum est, sed insigni calumnia deformatum, ac sathanica pseudologia defædatum, quod idem Kemnicius fol. 415. euomuit. Patres Conc. Trident. non ignorantes (inquit) sententiam Ecclesiæ & Orientalis & Occidentalis contra mentem veterum Patrum, ipsorum phrases ad commentum suæ transubstantiationis

Cauillis & calumniis Kẽnicij occurritur pro Conc. Tridentini defensione.

Tom. 2. fo. 410.

An Patres Con. Trident. detorqueãt veterum scriptorũ verba.

tionis detorquere. Siquidem eos hanc diuinam planè panis in corpus Domini mutationem admirari, immo stupere, satis superque ille verè hyperbolicæ testantur voces: O miraculum! O Dei benignitatē! Qui cum patre sursum sedet, omniū manibus pertractatur! Rursus & illæ, Ministrorum nos ordinem tenemus: qui verò hæc sanctificat & transmutat, ipse Christus est. Item, Adest hic sacerdos non ignem gestans, quo ad Heliæ exemplum sacrificium absumat; sed spiritum sanctum. vnde & homil. de Enceniis panem ait absumi.

Tragica hæc D. Chrysosto. epiphonemata stupenda testantur rerum sensibiliū in mysteriis conuersionem.

Et ne qua detorsionis aut deprauationis in Veteres PP. à nobis patratæ hæreat suspicio; expendat, obsecro, pensiculatiùs iste obesæ naris & auris examinator, ecquid illud Ambrosij sibi velit, non esse quod natura formauit; benedictione enim naturam mutari.

Similiter, ecquid illud Cypriani sibi velit à Melanchthone recitatum, panis non effigie, sed natura mutatus omnipotentia fit caro Christi.

Denique ecquid illud Augustini Latinis auribus sonet, expendat accuratius, Noster panis certa consecratione fit mysticus, non nascitur. rursus illud Hieronymi: Transfigurans panem in corpus suum, siue vt Theophilact. μεταστοιχεῖ transelementat, siue vt Damasc, ὑπερφυῶς μεταβάλλει, supernaturaliter panem in corpus suum transmutat.

Porrò illud Kemnicij Epiphomena, quo hanc claudere placuit disputationem, Christiano in primis dignū est Theologo: Videri in Eucharistia (inquit fol. 424.) panem & vinum & sensus ipsi, & tota antiquitas testantur. O argutum philosophum, qui in fidei Christianæ doctrina vero antiquitatis Christianæ testimonio destitutus, quam pro nobis totam stare tam disertis, tam perspicuis demonstratum est ipsorum sententiis, vt nihil supra; ad futile, fallax, vanum, planéque ficulneum, immo sophisticum à sensibus corporeis petitū confugit præsidium. Si sensuum iudicio de fidei Christianæ dogmatibus standum, iam iam non solum à Caluinistis vestris hostibus egregiè mathematicis isto spoliādi estis mysterio longè maximo, simul & humanis sensibus abstrusissimo; sed omni semel etiam religione Christiana vos euestigio deturbabunt philosophi, Pagani, Turcæ,

Præclarū Christiani Theologi Kēnicij argumētū contra transsubstantiationē ex physica, siue à sensibus petitum.

Turcæ, Iudæi, ſenſuum iudicio mirificè contra vos inſtructi. Verùm ad inſtitutum redeat oratio, quæ ſuo à curſu aduerſariorum ineptia fortaſſis æquo longiùs diuertiſſe videatur.

Epilog⁹ doctrinã antitheſeos huius V. contrariam eſſe nõ ſolum PP. Catholicis, ſed Cõfeſſioni etiam verè Auguſtanæ.

Liquet igitur ex iis, quæ dudum ex Valentino Aerythræo, Weſalio, Cochlæo, Swencfeldio, Heshuſio, aliiſq; commemorauimus, nouos iſtos & degeneres Confeſſioniſtas aliã nunc ſectari non modò apologiam, ſed Cõfeſſionem etiam Auguſtanam, quàm fuerit illa genuina & germana Carolo V. A. primum anno 30. oblata, ſimulq; in Comitiis perlecta: & quòd doctrina ipſorum de panis permanentia hac in Antitheſi V. propoſita non ſolum PP. Orthodoxis & Catholicis nobis ipſorum filiis repugnet; ſed ipſi etiã Luthero, Melanchthoni, ipſiq; adeò veræ Confeſſioni ſuæ, vnde glorioſiùs quam veriùs nomen gerunt, Auguſtanæ ex diametro eſt contraria.

Tranſubſtãtiationẽ à Patribus traditam cõſenſu Eccleſiarum omnium.

Ad hæc perſpicuè eſt omnibus demonſtratum, hanc ſubſtantiarum in S. Euchariſtia diuinam cæleſtemq; conuerſionẽ, ſiue tranſmutationem, vti appellabant veteres, ſiue, vti paucis à ſeculis aptiori vocamus vocabulo, tranſubſtantiationem nõ eſſe à monachis & ſacrificulis (vti improbè fingunt & cõtumelioſe conuitiãtur anonymi Confeſſioniſtarum Patroni) in Eccleſias inuectam; ſed eſſe Orthodoxorum Patrum, cùm Lutheri, tum Melanchthonis, ipſiusque adeò Cõfeſſionis re vera Auguſtanæ doctrinam. Quam cum iſti noui Confeſſioniſtarum apologetici adulterarint & deprauarint, nõ modò ſe vanè hoc iactitant nomine, quod Confeſſionis Auguſtanæ ſint profeſſores, immo ſi Chriſto placet, propugnatores, atque delecti ſtatuũ Imperij nomine defenſores: ſed re ipſa de illorum ſe numero eſſe conuincunt, qui Chriſtianæ doctrinæ placita, vt teſtamenta, pernicioſa hęredum fraude, doloque malo mutant, deprauant, adulterant.

CAP. XVI.

De vſu Euchariſtiæ, quòd eſt ſacrificiũ à Chriſto inſtitutum.

QVARE cũ hac de doctrina, quòd ſubſtantia panis in S. Euchariſtia in Chriſti corpus diuina Spiritus ſancti virtute mutatur, ſiue cõuertitur, Germanis Confeſſionis re vera Auguſtanę profeſſoribus atq; Catholicis ſecundũ Dei verbũ & perpetuũ PP. Orthodoxorũ cõſenſum conueniat; iã de huius ſacroſancti myſterii vſu dicẽdũ erit copioſiùs: de quo dogmate hũc in modũ anonymi Cõfeſſioniſtarũ Patroni ſuã pergũt exponere Antitheſin.

„ tithesin. Neq; ideo institutũ est sacramentũ hoc, inquiũt, vt sit
„ oblatio, vel sacrificiũ, quod nos offeramus Deo. Vnde & in Ca
„ tholicorũ antithesi eos accusant, quòd cœnã Domini trãsfor-
„ mant in opus toto genere diuersum ab eo fine, qui à Christo
„ propositus fuerit. Sanè hac in parte ex diametro dissentimus Catholici à Confessionistis. Vtrique Christi Domini institutũ vrgemus; vtriq; suam quisque in opinionem diuinas scripturas depromimus; vtrique Orthodoxorum testimonia in medium producimus: Verùm nos apertissimum Dei verbũ pro nobis stare Catholici, non solùm æquè certatim affirmamus, sed disertis etiam Vet. Patrum sententiis, perpetuoque Ecclesiæ Dei Catholicæ toto orbe concorditer ita nobis semper à primo vsque sui exordio consentiẽtis sensu demonstramus, atque indubitanter apud omnes, quibus fides Christi est integra, conuincimus. Anonymi verò Confessionistarum Patroni audacter affirman. suam doctrinam de reali corporis Domini in S. Eucharistiæ mysteriis præsentia, quodque non sit institutum ad oblationem, clarè docere verba ipsa institutionis, &
„ ritus. Matth. 26. 1. Cor. 11. quibus, inquiunt, locis nominatim
„ & expresse traditur, Dominum cum pane & vino distribuisse
„ verum corpus suum & sanguinem.

Quod assumptum vti Caluinistæ homines sanè acuti non minùs quam versuti nominatim & expresse negant illis locis doceri; ita Catholici de veritate corporis Dominici & sanguinis illic præsentis Confessionistis consentientes negamus cum pane & vino distribui. Locis porrò S. Scripturarum, quibus abutuntur ad imperitorum fraudem ad istud suum nouum dogma statuendum, suo inferius loco respondebitur aptiùs, vbi de huius mysterij vsu verè Euangelico pleniùs tractauerimus: demonstrato, esse S. Eucharistiam à Christo Domino institutam, non solùm ad Sacramentum, sed vt sit etiam sacrificium viuis adeoq; mortuis profuturum. Atqui negant Confessionistæ? sed quibus rationibus fulti, aut scripturarum capitulis instructi, aut veterum denique Patrum testimoniis confisi
„ istud negant, videndum. Neque vlla, inquiũt, ibi legitur sylla-
„ ba de oblatione Papistica, quæ fiat pro viuis & mortuis.

Quàm ficulneo argumẽto nixi

Quod vos nobis negatis de oblatione corporis Dominici, idem

idem vobis negant Caluiniſtæ, vnam ibi legi ſyllabam de vera eiuſdem ac reali præſentia. Nos antiquam contra vtroſq; obtinentes doctrinam affirmamus non ſolũ ibi vnam aut alteram legi his de fidei capitibus, haud ſanè poſtremis ſyllabam; ſed diſertis etiam verbis vtrunque eſſe à Christo Domino inſtitutũ, & ipſius authoris exemplo re ipſa geſtum, adeoque vt in poſterum ſemper fiat mandatum.

Confeſsioniſtæ tollere conãtur S. Euchariſtię ſacrificium, nulla ibi legitur, aiũt, ſyllaba de ſacrificio. O plũbeũ pugione acutis philoſophus digniſſ.

Cùm igitur apud æquos iudices tantidẽ valeat vtriuſq; partis affirmatio, nũquam de cauſſę ſuę veritate certũ poterit fieri iudiciũ, niſi altera pars ſolidis, immo liquidis ſuã probarit atq; demonſtrarit teſtimoniis nixam actionem. Affirmant igitur Confeſſioniſtæ, non eſſe in Chriſti Domini verbis vllam ſyllabam, quæ corporis ſui oblationem teſtetur inſtitutam. Nos cõtra affirmamus, & à Chriſto inſtitutã eſſe, & diſertè adeò Chriſtianis mandatam eſſe. Sed quibus, inquias, teſtimoniis iſtud Catholici confirmatis? Audi, quæſo, benignus; videbis perſpicuè non eſſe hanc Dominici corporis oblationem, vti aduerſarij cauillantur, Papiſticam aut humanam; ſed Euangelicam, vereque Chriſtianam: quia ex Chriſti Domini verbis, eiuſque exemplo, atque perpetuo Patrum Orthodoxorum conſenſu iuxta Prophetarum oracula conſtabilitam, validiſſimeq; confirmatam.

Cùm hæc omnis controuerſia in vera illorum Chriſti Domini verborum, Hoc facite in mei commemorationem, ſenſu ceu cardine verſetur; nihil omnium ita hanc principem ferè omnium aliarum hoc in fidei diſſidio exortarum quæſtionem de miſſæ ſacrificio planè decidat, litemque capitalem ſemel omnem dirimat, quàm ſi perſpicuũ fiat, quidnam Chriſtus Dominus ipſe illa in ſacroſancta cœna prior fecerit, quidue ipſe geſſerit, quid ſuos denique illis verbis facere mandarit. Quod enim prior fecit, ſuos facere iuſſit, Hoc facite, inquiens, in mei cõmemorationem. Initiò igitur quia inter Catholicos & Confeſſioniſtas conuenit Chriſtum ſuum verum corpus atq; ſanguinem Apoſtolis tunc diſtribuiſſe, ſolidis eſt atque liquidis Veterũ PP. teſtimoniis ſtatuendũ, Chriſtum Do. ſuum etiam corpus ac ſanguinem Deo Patri in cœna obtuliſſe, atque ad formam illius agni Moſaici, vt typum ſacerdotis iuxta ordinem

Quęſtio de miſſę ſacrificio qua methodo explicanda.

non Aaranis, sed Melchisedechi expleret; immolasse atque sacrificasse: deinde suis Apostolis & sacerdotibus vt idem ipsi facerent, mandasse, siue instituisse; vt Deo Patri, iuxta Prophetias, hostia munda toto orbe offerretur.

Christũ in cœna obtulisse Deo Patri corpus suum.

Obtulisse igitur Christum in cœna suum corpus Patri cælesti, disertis verbis clarissima orbis Christiani lumina nobis consona voce contestantur.

I. D. Cyprianus.

D. Cyprianus aurea illa contra Aquarios epistola de vetustissimo prisci Melchisedechi sacerdotio multa pręfatus, Qui magis Sacerdos Dei, inquit, quàm Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem. Rursus eadem epistola inferius: Nam si Iesus Christus Dominus & Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris, & sacrificium Deo Patri primus obtulit, & hoc in sui commemorationem fieri præcepit; vtique ille sacerdos vice Christi fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur.

II. Clemens Rom.

His congruit quod Clemens Romanus in epitome Aposto. Tradit. scribit, Offerens spiritalem hostiam (inquit) antequam pateretur, nobis constituit solis hoc facere.

III. Leo Magnus.

Quod Leo ille magnus planiùs explicans, Discumbentibus secum discipulis (inquit Sermo. VII. de passione) ad edendam mysticam cœnam corporis & sanguinis sui ordinans sacramẽtum docebat, qualis Deo hostia deberet offerri.

IIII. D. Irenæus.

Huic suffragatur nobilissimus ille Galliarum scriptor Græcus D. Irenæus. Sed & suis discipulis, inquit libr. 4. ca. 32. dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, eum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum. Et calicem similiter suum suum sanguinem confessus noui testamenti, nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo offert Deo.

V. D. Martialis Christi discipulus.

Sic ante Irenæum & vetustissimus Gallorũ Apostolus Christi Domini discipulus D. Martialis, vbi epistola ad suos Burdegalen. data docuisset ex Prophetæ Malachię testimonio (sicuti & Iustinus, Augustinus, & alij PP.) offerri vbique Deo mundam oblationem; Offerimus, inquit, Deo in ara corpus & sanguine Domini in vitam æternam. & infrà: Quod autem corpus

pus Iudæi per inuidiam immolauerunt, putantes ſe nomen eius à terra abolere; nos cauſſa ſalutis noſtræ in ara ſanctificata proponimus, ſciẽtes hoc ſolo remedio nobis vitam præſtandam, & mortem effugandam. hoc enim ipſe Dominus noſter iuſſit nos agere in ſui commemorationem.

Euſebius quoque Cæſarieñ. Euangelicæ demonſtrat. libr. 1. VI.
cap. 10. Luculentis admodũ verbis idem docet. Poſt hæc omnia, inquiens, quaſi admirandam hoſtiam, victimamque eximiã Patri καλλιερισάμενος ὑπὲρ τῆς ἁ πάντων σωτηρίας ἀνήνεγκε, auſpicatiſſimè ſacrificando immolauit, obtulitque pro noſtra omniumque ſalute.

Euſebius Cæſarien.

Similiter & Coſmas Ieroſolimitanus in hymno magnæ v. VII.
feriæ: O bone tuos diſcipulos bibere feciſti lætitiæ calice impleto (ipſe enim te ſacrificabas) bibite clamans ſanguinem meum!

Coſmas Ieroſolimitanus.

Sic & Cyrus Prodromus Epigrammate in cœnam myſticam. VIII.

Cyrus Prodromus.

θύ{ς τὸ θῦμα ϗ τὸ δεῖπνον ἐσθίεις
ϗ κλᾶς τὸν ἄρτον ἄρτε, ϗ κρατὴρ πίνεις,
ἄμφω γὰρ εἶ σὺ, ϗ θυθὴρ ϗ θυσία,
ὁ δὲ προδώσων ἐσθίει σε μὴ τρέμων.
Offers ſacrificium, & cœnam ipſe edis,
Frangiſque panem tu panis, & calix bibis:
Nam vtrumque tu es, & ſacrificus & hoſtia,
Te proditor tuus intrepidus edit.

Chriſtus in cœna ſacrificus & hoſtia.

Accedit his & præclarus ille D. Pauli interpres Photius, IX.
qui illud Pſalm. Tu es Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, à D. Paulo allegatum ſic intepretatur; Chriſtum dicit ſecundum ordinem Melchiſedech Sacerdotem, ὅτι ϗ ὁ χριςὸς ἀναίμακτον θυσίαν προσήνεγκε εἰς ὕςερον ϗ τὸ ἑαυτȣ̃ σῶμα, quòd & Chriſtus incruentam deinde obtulit hoſtiam, ſuum ipſius corpus.

Photius.

Similiter & Oecum. Græcus Pauli interpres doctiſſ. illud, X.
Tu es Sacerdos in æternum exponens, Non de illa inquit, hoſtia ſemel à Deo (in cœna) immolata dixiſſet, In æternum: ſed ad Sacerdotes noſtri temporis aſpiciẽs, per quos medios ipſe Chriſtus ſacrificat & ſacrificatur: qui Chriſtus ipſe modum eis in myſtica cœna tradidit iſtiuſmodi ſacrificij.

Oecumenius.

Suffra-

XI. Theophylact.

Suffragatur & Theophylactus in Matth. cap. 28. δῆλον ὅτι ἔκτοτε ἀπέσφαξεν ἑαυτὸν, ἀφ' οὗ διεδίδου τοῖς οἰκείοις μαθηταῖς τὸ σῶμα, οὐδεὶς γὰρ ἐσθίει τὶ ἐὰν μὴ πρότερον ἐσφαγμένον ἔστι. Manifestũ est, quòd tum immolauerat se ipsum, ex quo tradidit discipulis suis corpus edẽdum. Nemo enim quicquam edit, nisi prius mactatum (siue immolatum) fuerit.

Quòd corpus suũ offerẽdum Apostolis mandarit.

Certissimis his iuxta ac liquidissimis Veterum Patrum testimoniis cùm euictum sit Christum Dominum illa in nouissima cœna suum corpus sacrumq́ue sanguinem Deo Patri immolasse, atq; in sacrificium obtulisse, siue sacrificasse; reliquum est vt nunc exquiramus, an sacrificare, idéq; corpus Deo Patri offerre instituerit, suisq; Apostolis sacrificandum mandarit. Hæc illa est enim magna controuersia, quæ potissimum Confessionis Augustanæ professores dissentire, adeoq́ue dissidere facit à Catholica Christi Domini Ecclesia. Proinde nos summam quandam hac in re explicanda collocabimus operam, nempe in qua concordiæ solidæ instaurãdæ, atque adeò semel sarciendæ spes singulariter sit reposita. Quò igitur omniũ manifestissimè eluceat, Catholicos ab illa Confessionistarum calumnia esse alienissimos, quòd cœnam Domini transformarunt in opus toto genere diuersum, id est, quia eam faciunt oblationem & sacrificium, quod Deo offeratur; agedum ostendamus non ita solum Christum Dominum instituisse, sed mandasse etiam, vt suum corpus, sacrumq́ue sanguinem Deo Patri in sui memoriam offerremus & sacrificaremus.

Totũ orbẽ Christianum cõcorditer semper sensisse, Christum Domi. Apostolis mãdasse, vt suũ corpus Deo Patri in sacrificiũ hostiamq; mundam offerrent. Ab Oriẽtali Ecclesia testimonia.

Hoc vt magis fiat indubitatum, omniq; luce effulgeat splendidius, huc nobis suffragaturos præclarissimos quosque Ecclesiæ Christianę adducemus Patres Orthodoxos, qui ante annos potiss. mille atque amplius effloruère illustrissimi. Quid igitur Oriens hac de quæstione senserit, initiò erit exponendum. Quam mũdi plagam vbi animi oculis perlustro, Antiochena Ecclesia meritò primum sibi locum vendicat, vt inde Christianæ religionis doctrina constabiliatur, vnde primò diuinum Christianorum hominum nomẽ nostra cum salute prodiit. Hanc autem Ecclesiam à D. Petro & Paulo, vti ait Leo Magnus, fundatam firmiter credidisse, sacrificiũ hoc à Christo Domino esse institutum, quis aptior producatur in mediũ

testis

teſtis,quàm Iohannes ille Antiochenus;qui & nobiliſſimis parentibus ortus ab aureo orationis flumine Chryſoſtomi cognomen meruit.

Iohan. Antiochenus, qui & Chryſoſtomus.

Is hac de re ſic homilia ad Corint.diſſerit: Collatiane veteris teſtamenti ac noui facta,vtrum maiora diuinæ erga nos charitatis habeat inſignia,vbi dixiſſet Deum à Iudęis vt ab Idolorum cultu auerteret, Brutorum ſanguinem ſibi immolatum aſſumpſiſſe: In nouo autem teſtamēto,inquit hom. 24. multo aliter ἐνταῦθα δὲ ἐπὶ τῷ πολλῷ φρικτοδέςερον καὶ μεγαλοπρεπέςερον τὴν ἱερουργίαν κατεσκεύασε, καὶ τὴν θυσίαν αὐτὴν ἀμείψας καὶ ἀντὶ τῶν ἀλόγων σφαγῆς ἑαυτὸν προσφέρειν κελεύσας. Hic multo admirabilius ſiue magis tremendum,atque magnificētius ſacrificiū conſtituit,ipſam hoſtiam (veteris teſta.) quidem commutauit, ac loco brutorum cædis ſeipſum offerendum atque ſacrificādum præcepit.

II.
Liturgia Apoſtolica per Eccleſias Orientales vſitatiſsima.

Liturgia illa huic conſonat, quæ Apoſtolorum nomine per Clementem Ro. edita,teſtibus Græcis doctiſſ.viris Nicolao Epiſcopo Metonen.&Marco Archiepiſcopo Epheſino: quæ ſic habet,Poſt conſecrationem,memores paſſionis,mortis, reſurrectionis,reditus in cælum, & futuri aduentus,offerimus tibi Regi ac Deo ſecundum eius inſtitutionem,per quem & hunc calicem, & cæt.

III.
Heſichius Nazianze. diſcipulus.

Quod in Orientali Eccleſia Heſichius à D.Gregor.Naziázeno,aliiſq; illuſtribus Eccleſiæ Chriſtianæ columinibus didicerat,aureis ſuis in Com. in Leuiticum nobis reliquit.Poſt hęc propriam tradit cœnā (inquit libr.6.cap.22.) ex qua nobis eſt oblatio & ſacrificium intelligibilis agni,quem immolamus & offerimus ſecundum Domini traditionem.

IIII.
Euſeb. Emiſſenus.

Euſebius Emiſſenus homil.5. in Paſchate.Et ideo quia corpus aſſumptum ablaturus erat ex oculis noſtris, & ſyderibus illaturus, neceſſarium erat vt nobis in hac die ſacramentum corporis & ſang.ſui conſecraret,vt coleretur iugiter per myſterium,quod ſemel offerebatur in pretium, vt quia quotidiana & indefeſſa currebat pro hominum ſalute redemptio, perpetua eſſet etiam redemptionis oblatio, & perennis illa victima viueret in memoria,& ſemper præſens eſſet in gratia. Et poſt quædam: Ad cognoſcendū & percipiendum ſacrificium veri

corporis ipsa re roboret potentia consecrantis. Deinde, Hic ergo Melchisedech oblatione panis & vini hoc sacrificium præsignauit, de quo Propheta prænunciat: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

V. Euseb. Cæsar. Idem & Eusebius Cæsarien. loco dudum allegato disertè confirmat: Post hæc omnia, inquit lib. 1. cap. 10. Euangelicę demonst. quasi admirandam hostiam eximiamq; victimam Patri sacrificando immolauit pro nostra omnium salute, μνήμην καὶ ἡμῖν παραδοὺς ἀντὶ θυσίας τῷ θεῷ διηνεκὲς προσφέρειν, & nobis vt Deo memoriam eius rei pro sacrificio perpetuum offerremus & sacrificaremus tradidit.

VI. Gregor. Nissen. In eandem sententiam scribit & Gregor. Nissenus orat. de resurrectione Christi: Pro ineffabili arcanoq; sacrificij modo, inquit, sua dispositione & administratione præoccupat impetum violentum, ac sese victimam & oblationem offert pro nobis Sacerdos simul & Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Quando hoc accidit? Quando corpus suum ad comedēdum, & sanguinem suum exhibuit familiaribus suis ad bibendum. Iam enim (vti post paucula subdit) latenter pro potestate mysterium administrantis ineffabiliter & inuisibiliter corpus immolatum erat.

VII. Oecumen. Similiter & Oecumenius haud ignobilis D. Pauli interpres illud Pauli, Tu es Sacerdos in ęternum, de Christo expositurus non de illa semel à Deo (Christo) hostia oblata dixit, in ęternū: sed ad Sacerdotes nostri temporis aspiciens, per quos medios Christus sacrificat & sacrificatur, ὃς καὶ παραδοὺς αὐτοῖς ἐν τῷ μυστικῷ δείπνῳ τὸν τρόπον τῆς τοιαύτης ἱερουργίας: qui Christus ipse modum istiusmodi sacrificij in cœna illa mystica ipsis tradidit.

VIII. Thodoretus. Suffragatur & D. Theodoret: Clarum est nos non aliud sacrificium offerre (inquit cap. 8. ad Hebr.) sed illius vnius salutaris memoriam agere. Hoc enim nobis præcepit Dominus dicens: hoc facite in mei commemorationem.

IX. D. Germanus Constantino. Sic & D. Germanus Constantinopolitanus Archiepis. in sua rerum Ecclesiasticarū Theoria illud liturgiæ Græcanicę; TVA EX TVIS, inerpretatur, de tuo corpore, inquit, & sanguine qui dixisti: hoc facite in mei cōmemorationem, quod est; quæ nobis per sanctos Apostolos tuos tradidisti, ea tibi offerimus propter nostram salutem.

D. Hie-

D.Hieronymus per Oriẽtem potiſſimũ verſatus eiuſdemq; cum illis fidei variis in locis Euangelicum Chriſtiani ſacerdotis depingens officium, docet tantarum eum debere eſſe virtutum, vt ſemper moretur in ſanctis, & paratus ſit victimas offerre pro populo, ſequeſter Dei & hominum, & carnes agni ſacro ore conficiens, quia ſacrum oleum ſuper eum eſt: hoc autem officij, id eſt carnes agni conſecrandi & immolandi ſacerdotes Chriſtianos habere ex ordine ſuo, qui ſecundum Melchiſedech eſt, planè docet in quæſtionibus Hebraicis, vbi ſic annotatum reliquit: Quod autẽ ait, Tu es Sacerdos ſecundum ordinẽ Melchiſedech, myſteriũ noſtrũ in verbo ordinis ſignificatur nequaquã per Aaron irrationalibus victimis immolãdis, ſed oblato pane & vino, id eſt corpore & ſanguine Dom. Ieſu. X. D. Hieronym⁹. De veſte ſacerdotali.

Porrò hunc offerẽdi corporis & ſanguinis Dominici ritum Apoſtolos, & per eos ſacerdotes ſuccedaneos à Chriſto Domino accepiſſe, immo eius inſtitutione, adeoq; mandato iſta quotidie Deo Patri offerre, diſertè D.Hiero. dialo.3. contra Pelag. tradit. Sic docuit Apoſtolos ſuos, inquit, vt quotidie in corporis illius ſacrificio credentes audeant loqui; Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum. Audis lector Chriſtiane, ſacrificium corporis Chriſti, audis Chriſtũ ſic Apoſtolos docuiſſe, vt quotidie audeant credentes petere; dimitte nobis debita; idque in corporis dominici ſacrificio: quod non feciſſent Apoſtoli, niſi offerendũ Chriſtus ſuis præcepiſſet; ſiue, vti ait Hieronymus, docuiſſet. Vnde & orationis dominicę præfatio quotidie ad Apoſtolorum exemplum hortatur credentes; vt præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati audeant vnà cum Sacerdote Chriſti loco mediatore ſiue ſequeſtro, dicere: Pater noſter, qui es in cælis.

Sic & Clemens Rom. epitome Apoſtolicarũ conſtit. ſcribit hũc in modum à ſacerdote in Eccleſiis orari: Memores paſſionis eius offerimus tibi Regi & Domino ſecundum eius ordinationẽ panẽ hunc & calicem hunc, & cæt. Rurſus, Offerẽs ſpiritalẽ hoſtiã, antequã pateretur, nobis cõſtituit ſolis hoc facere. XI. D.Clemens.

D. Dion. Areopagita cap.3. Eccleſ. Hierarch. Quando facimus, inquit, in ſui memoriam, quod fecit, fieriquemandauit ad recordationem, & cæt. XII. Dionyſ. Areopagita.

XIII. D. Iustinus. D. Iustinus Martyr dialogo contra Tryphonē, allegato vaccæ rufæ typo, demonstrat ex Esa. cap. 33. & Malachia, hostias panis & vini Deo offerendas esse prædictum: vbi fit mentio panis (inquit) quem nobis Christus noster conficiēdum tradidit, vt corpus eum factum esse recordaremur, eorum caussa, qui in ipsum credunt.

XIIII. Origen. Origenes ille Adamantius his suffragatur in Leuit. cap. 23. homil. 13. Et si respicias illam commemorationem, inquit, de qua Dominus dixit, hoc facite in meam commemorationem; inuenies quòd ista est commemoratio sola, quæ Deum hominibus propitium facit.

Hæc doctrina tam fuit apud Christianos indubitata, vt vel hæretici Arriani suæ perfidiæ tela inde haud mediocriter sibi exacuenda putarint. Cùm enim sacrificium corporis Christi Deo Patri offerret Ecclesia vniuersa, ex axiomate indubitatissimo stolidissimè colligebāt, Deum Patrē filio esse maiorem: quod vt futilissimè dicitur, ita haud parum firmiter controuersiam præsentem de Dominici corporis sacrificio sua etiam perfidia statuit Arrianismus.

Arrhiani ex hac doctrina Ecclesiam oppugnauere.

Hac ex traditione, siue Christi Domini institutione atque mandato totam vniuersi orbis Ecclesiam ac in primis Orientalē obtulisse Deo Patri pretiosum Christi Domini corpus & sacrum sanguinem, disertè admodum nobis Patres illi 318. Conci. Niceno ex omni mundo congregati vna voce contestantur. Nam Canone 14. vetant, Ne amplius sacerdotibus diaconi Sacramenta porrigant; cum id neque regula, neq; consuetudo tradiderit, vt hi, μητὲ ἐξουσίαν ἔχουσι προσφέρειν, qui potestatē non habēt offerendi sacrificij; his qui offerunt corpus Christi porrigant. Ad hæc iidem PP. Niceni, teste D. Ambrosio, in Synodo Nicena statuerunt, vt vna nocte (inquit epistola 83.) vbique sacrificium pro resurrectione Domini deferatur. Idem licet intelligere ex fragmento cano. illius Niceni, quem contra Oecolampadium aliosq; sacramentarios R. D. Cutbertus Tonstallus Episcopus Dunelmen. ex suo venerandæ antiquitatis protulit thesauro. Iterum etiam hic in diuina mensa (inquiunt) ne similiter intenti simus ad propositum siue oblatum panē, & poculum; sed attollentes mentem

Totum orbem Christianū ex hac Domini traditione corpus Christi semper obtulisse, Deoq; immolasse. PP. 318. Concil. Niceni.

fide

fide intelligamus situm in sacra illa mensa agnum illum Dei tollentem peccatum mundi, ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον incruentè siue non mactationis specie à sacerdotibus immolatũ.

Agnus Dei in ara offertur nõ sanguinaria & mactatoria specie, vti semel in cruce.

Sic & Patres Concil. Ephesino 200. congregati docent, incruentum in Ecclesiis sese sacrificij seruitutem, siue latriam, id est diuinum cultum celebrare, atque ad mysticas benedictiones accedentes sanctificari, participes sancti corporis & pretiosi sanguinis Christi omnium redemptoris effectos.

PP. 200. Conc. Ephesin.

Vbi manifestum est, à S. corporis ac sanguinis communione distingui incruentam sacrificium siue incruẽtam seruitutem atque latriam, id est, immolationem citra mactationem aut cędem factam. Id enim illis sonat thysia anæmactos.

Idem & sensisse & fecisse Ecclesiam Ierosolymitanam ex Apostolorum ætate ad tempus vsque Concilij Niceni attestatur D. Cyrillus Ierosolymitanorum Episcopus, qui & Concil. Niceno illi magno interfuit. Is Catechesi V. mystagogica, vbi exposuisset tradita nobis Christiani sacrificij mysteria, postquam, inquit, τὴν πνευματικὴν θυσίαν, τὴν ἀναίμακτον λατρίαν ἐπὶ τῆς θυσίας τοῦ ἱλασμοῦ, spiritalis illa oblatio, cultusque incruentus super ipsa propitiationis hostia fuerit peractus & absolutus, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace. & infrà: Sic & nos pro defunctis, quãquam sunt peccatores, preces offerentes χριστὸν ἐσφαγιασμένον ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων προσφέρομεν ἐξιλευόμενοι ὑπὲρ αὐτῶν καὶ ἡμῶν τὸν φιλάνθρωπον, Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis, & illis Deum benignissimum reddamus propitium.

Ab exemplo Ecclesiæ Syõ Ierosolimis.

Sacrificio corporis Deũ placamus, reddimusque propitium.

Demostrato quidnam Oriẽs totus ante annos mille trecentos & crediderit & fecerit, ad Meridiem etiam consulendum sese transferat oratio.

Meridies quidnam senserit de altaris sacrificio.

Prima testimonium dicat Alexandrina illa Ecclesia, à D. Marco Petri discipulo erudita. Ea D. Athanasij sui totius orbis clarissimi luminis ore profitetur, non solũ ex Apostolorum traditione preces & eleemosynas, cereos etiam atque oleum ad defunctorum sepulchra adferre admodum prodesse defunctis, sed incruentum etiam missæ sacrificium. δεκτέα γὰρ ταῦτα τῷ θεῷ καὶ πολλὴν ἐξ αὐτοῦ φέροντα τὴν ἀντίδοσιν. τὸ γὰρ ἔλαιον καὶ ὁ κηρὸς ὁλοκαύτωσις· ἡ δ᾽ἐγε ἀναίμακτος θυσία, ἐξιλασμός. Hæc enim,

Alexãdrina Ec. testimonium.

(inquit

(inquit orat.in defunctos) Deo grata sunt,magnamq; ab eo referunt recompésationé, oleum náq; & cerei sunt holocaustú: verú incruenta illa hostia propitiatoriú est sacrificiú. Quę omnia mortuis prodesse,ex Apostolorum traditione mox subiecta confirmat.Sic & orat.de fide vti D. Theodor. recitat dialogo 3. Corpus est,inquit,cui dicitur : Sede à dextris meis, per quod Corpus & Pótifex,& Apostolus dictus est;per id,inquá corpus Pontifex dictus,quod nobis tradidit mysterium, dicens : Hoc est corpus meum.

Carthaginensis eclesia.

Quod si eundem decurramus continentem,ad regiam illam perueniemus Carthaginem,Romæ non minùs religionis zelo,quàm olim imperij studio æmulá, quæ hac de doctrina quidnam & senserit & fecerit,vnus Cyprianus aureo suo floru lentæ orationis flumine exponet : Christus Sacerdos (inquit epist.1.libr.2.) sacrificium corporis & sanguinis sui Deo Patri primus obtulit,& hoc fieri in sui commemorationem præcepit.Neque suo ex priuato iudicio istud scribit,sed ex consentanea totius Africæ doctrina. nam epist.9. libr.1.non suo solùm, sed Synodi Africanæ nomine testatur, vel antè suam ætatem fuisse pro mortuis fratribus oblatum Deo altaris sacrificium. Vetat enim illa epistola ad Ecclesiá Furnésem ex Cócilio data, nó debere pro Geminio Victore fieri oblationé aut aliquá eius pro eius dormitione in Ecclesia deprecationem frequentari.

Ecclesia Ro.con testatur Christú sui corporis hostiam instituisse in sacrificium.

His consonat quod D.Syluester scribit: Ideo v. feriam non esse à Christianorum festis excludendam , in qua sacrificium sacri corporis Domini,& sanguinis ab ipso Domino celebrationis sumpsit exordium.Ita & Iulius Ro.apud Gratianú : Cum magister veritatis (inquit) verum salutis nostræ sacrificiú suis commendaret Apostolis,& cęt.D.Leo diserta admodum oratione idem cófirmat.Christus corporis & sanguinis sui (inquit Sermone VII.de pass.)ordinans sacramentum, docebat qualis Deo hostia deberet offerri.

Ecclesia Hipponen. suffragatur.

Sic & Ecclesiam Hipponensem sensisse vnus nobis abundè testatum fecerit D.Augustinus,qui contra Faustum scribens: Quod (sacrificare Deo) frequentissimè facimus,inquit lib.20. cap.21.illo duntaxat ritu, quo sibi sacrificari noui testamenti manifestatione præcepit.

Ad

Ad hæc variis in locis D. Aurelius Augustinus hoc altaris, siue mediatoris sacrificium prædicat illustrius, quàm vt vel semidoctis sit ambigendi locus. Sacrificio enim salutari (inquit Serm. 32. de verb. Apostoli) & eleemosynis, orationibusq; S. Ecclesiæ non dubitandum est mortuos adiuuari, & cæt.

Rursus, vt loca ex Ciuit. Dei libr. 2. aliaque dissimulemus, fidei Catholicæ formulam Laurentio præscribens: Neque negandum est, inquit cap. 110. Enchiridij, pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Vbi addit, & sacrificia altaris & eleemosynarum pro non valdè malis defunctis Christianis esse propitiationes. Huius vestigiis insistens D. Primasius idem sacrificium altaris à Christo Domino tradit institutum. Quia Dominus Christus non potest iam mori, dedit nobis hoc Sacramentum (inquit Con. ad Hebr. 10.) corporis & sanguinis sui, vt oblatio ista sit redemptio & mundatio omnibus bona fide offerentibus, bonamque intentionem habentibus.

Quòd si nunc ad Occidentem transeat oratio, primum testam dabit Ambrosium illum Mediolaneñ. eximium veræ pietatis Christianæ magistrum, ac singulare columen: qui sui sacerdotij Christiani à Christo Domino instituti in primis peritus nihil ambigit Deo Opt. max. supplicare, vt pro fratre Satyro propitius ac serenus fraternum capiat munus, sacrificium (inquit orat. funebri) sacerdotis. Rursus aurea illa apostrophe ad AA. Gratia. & Valentinia. Nulla nox (inquit orat. in AA.) vos non dotatos aliqua precum mearũ contextione transcurret: omnibus vos oblationibus frequentabo.

Ex Occidente consensus de altaris sacrificio D. Ambros.

Sic & Ecclesiam Ostiensem Augustini ætate pro mortuis obtulisse altaris sacrificium, disertis admodum verbis testatum facit D. Augustinus, qui libr. 9. Confession. cap. 12. perspicuè docet, pro matre sua illic sepulta oblatum fuisse sacrificium pretij nostri. Magnam illam Romanam Ecclesiam orbis Christiani oculum, aut potius metropolim nunc sciens prætercurro, quò ex illustrium virorum testimoniis arrogans istorum Euangelicorum impudentia magis obtundatur, qua fingere audent, hanc de missę sacrificio doctrinam à Romanis Pontificibus confictam.

Hiſpania ſuffragatur ſuperioribus.

Ad Hiſpaniā igitur delati B. Iſidorum Hiſpalēſem audiamus, qui præclarum hac de re dicit teſtimonium, quod omni antiquitati ęquis rerum arbitris videbitur per quàm conſentaneũ; libro de vocatione Gentium illud de Chriſto exponens: Tu es ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, hoc eſt, iuxta ritum, inquit huiuſmodi ſacrificij, quod in paſſione perficiens Chriſtus impleuit, quodq́ue etiam Apoſtolis in commemorationem ſui facere iuſſit. Similiter lib. allegor. in Geneſ. Vtique Chriſtus ſacerdos eſt ſecundũ ordinē Melchiſedech, propter myſterium (inquit cap. 11.) Sacramenti, quod Chriſtianis celebrare præcepit, vt oblationem panis & vini, id eſt, corporis & ſanguinis eius Sacramentum in ſacrificium offeramus.

Ex Septentrione teſtimonia pro ſacrificio miſſæ ex Chriſti mandato.

Teſtimoniũ Ec. Conſtātinopolitanæ.

Sed tandem noſtrum ad Septentrionem deueniamus, qui non minùs meretur authoritatis, quam Eccleſiæ omnes reliquæ. Hîc Conſtantinopolitana primum non immeritò habet locum, vt teſtimoniũ dicat. Prodeat igitur Iohannes ille Chryſoſtomus ex Oriente huc tranſlatus, qui verba Chriſti de ſui ſacrificij oblatione optimè callens cum creditam ſuæ fidei plebem ad piam defunctis in Chriſto fratribus orando, & Eccleſiæ preces atque illud ſacrificiũ altaris immolando nauandam operam fuiſſet adhortatus, ſui dicti cauſam ſubtexuit. οὐκ εἰκῆ ταῦτα ἐνομοθετήθη ὑπὸ τῶν ἀποςόλων τὸ ἐπὶ τῶν φρικτῶν μυςηρίων μνήμην γίνεσθαι τῶν ἀπελθόντων. haud fruſtrà fuêre hæc (inquit homil. 3. ad Philippen.) ab Apoſtolis inſtituta, vt in myſteriis illis tremēdis eorum memoria fieret, qui hinc emigraſſent. Nouerant enim (Apoſtoli) illis magnum hinc emolumentum, multáque commoda obuentura. Cum enim vniuerſus conſtiterit populus expāſis ad Deum manibus, omniſq́ue clericorũ chorus, & tremenda illa offertur hoſtia, qui fiat, obſecro, vt ſupplicantes pro illis Deum non exoremus atque placemus?

Teſtimonia ex mari mediterraneo.

Marequoque mediterraneum nos ſuo non deſtituat teſtimonio. Ex Cypro enim D. Epiphanius emicat contra nouos iſtos Aerianos dimicaturus, eodem iſtos conficiens telo, quo ipſorum iam olim auum ſtrauit Aerium. Apoſtolicas enim cōmemorans Eccleſiæ Dei Catholicæ traditiones, cùm ad defunctos ventum eſſet, oſtenſurus quidnam & pro illis faciendum illa accepiſſet ab Apoſtolis remedij, ſalutariſq́ue auxilij: Defun-

ctorum,inquit in compendio fidei, ex nomine memorias faciunt,orationes ad Deum perſitiẽtes, & cultus diuinos & myſteriorum diſpenſationes. Ita quidem rudiuſculè Ianus Cornarius,ſed Vitus Amerbachius non multò illuſtrius,Cultus & diſpenſationes,cum Græcè legatur, προσευχάς τελοῦντες καὶ λατρείας καὶ οἰκονομίας. Significat igitur D. Epiphanius ex Apoſtolorum traditione pro defunctis olim offerri ſolitas preces, ſacrificia & altaris oblationes: quæ Oeconomias nomine tunc vulgò appellabãtur,vti ex locis paulò præcedentibus,& Aërij blaſphemiis alibi demonſtrauimus.

Orat quis pro mortuo,inquiebat Aerius aut Oeconomiã facit,quid inde lucri conſequatur mortuus?

Vna voce impie & pias preces,& diuinum altaris ſacrificium mortuis eripere conabatur.

Oeconomia Epiphanio videtur ad officium Eccleſ.ſiue ſacrificium pertinere.

Cæterùm quidnam totus noſter Septentrio hac de re ſenſerit,ſatis exequiæ A. Conſtantini Magni declarant ab Euſebio Cæſarieñ. lib.4.de illius vita graphicè depictæ, vbi ab Epiſcopis toto ferè Septentrione viciniáque euocatis ſui ſacerdotij cum primis peritiſſimis teſtatur, non ſolum pro ipſius animæ ſalute pias,vt & à populo,lachrymas ac preces fuſas: ſed & latrias, myſticasque liturgias,arcanáq; miſſarum ſacrificia fuiſſe adhibita.

Eccleſiarũ Thraciæ teſtimoniũ pro altaris ſacrificio.

Ex D. Hieronymi Pannonij teſtimonio dudum demõſtrauimus,Chriſtum ſic Apoſtolos ſuos docuiſſe, vt quotidie in corporis ſui ſacrificio(inquit dialo.3.contra Pelag.) credentes audeant dicere Pater noſter, qui es in cælis ; Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.Perſpicum igitur eſt,non ſolum Chriſtum in cœna ſuum corpus & ſanguinem Deo Patri obtuliſſe atque ſacrificaſſe;ſed Apoſtolis etiam tradidiſſe, præcepiſſe,atque adeò.vti ait Cyprianus,mandaſſe,vt idipſum Patri in ſui commemorationem offerrent, indeſinenterque immolarent.cuius etiam mandati obedientia & obſeruatione ſedula omnes vbique terrarum Eccleſias Chriſti non ſolum Catholicas,ſed etiam hæreticas immolaſſe,atque corpus Chriſti Patri obtuliſſe,inuictis admodũ teſtimoniis iam eſt demonſtratũ.

Teſtimoniũ ex Illyrico & Pannonia.

Vnde piis veritatis Euangelicæ amatoribus liquet, VV. Patres Concilij Trident. illo de ſacrificio miſſæ decreto nihil nouum,nihil ſuperſtitioſum,nihil idololatricũ: ſed verè quod eſt Euangelicum,veréque Chriſtianum definiiſſe, immo ſolidis ſuorum maiorum veſtigiis inſiſtentes id poſteris præſcripſiſſe, quod à Chriſto Do.inſtitutum & mandatum ſuis à maioribus

Concil. Triden. Patres à calumnia defenſi.

r per-

perpetuo PP. Orthodoxorum consensu per manus ab Apostolorum vsque temporibus in hæc nostra tempora traditum susceperunt.

Missam esse sacrificium ex cõsensu Apologiæ Cõfessionis Augustanæ.

Sanè tam aperta sunt apud veteres Patres de corporis Dominici in altari sacrificio testimonia omnem calumniam refugitantia, vt vel apologia Confess. Augustanæ non dubitet variis in locis profiteri, S. Eucharistiam esse rectè sacrificium Eucharisticum dictum, quod à nobis Deo offeratur. Postquam enim docuisset Theologos rectè distinguere solere sacramentum & sacrificium (quod noui isti anonymi Confessionis Augustanæ defensores malorum coquorum more, vt multa iura confundunt imperitissimè) demonstrat & S. Eucharistiam, siue missam sacrificium rectè dici.

S. Eucharistia est Sacramétum & sacrificiũ laudis, secundũ apologiam Cõfess. Augustanæ, contra nouos istos apologeticos protestantium.

Sicut enim (inquit) inter sacrificia laudis, hoc est, inter laudes Dei complectimur prędicationé verbi; ita laus esse potest, seu gratiarum actio, sumptio cœnæ Domini. Rursus posteà, Accedit sacrificium. Sunt enim vnius rei plures fines.

Postquam conscientia fide erecta sensit, ex qualibus terroribus liberetur; tum verò seriò gratias agit pro beneficio & passione Christi, & vtitur ipsa ceremonia ad laudem, vt hac obedientia gratitudinem ostendat, & testatur se magnifacere dona Dei: Ita fit ceremonia sacrificium laudis: Ac Patres quidem de duplici effectu (Eucharistiæ) loquũtur, de consolatione conscie̅tiarum, & de gratiarũ actione seu laude. & infrà, Hinc extitit appellatio Eucharistias in Ecclesia, vnde paulò superius dixerat apologia: Non ignoramus, missam à Patribus appellari sacrificium, sed apertè (inquit) testantur se de gratiarum actione loqui: ideò vocant Eucharistiam.

Hunc autem sacrosancti corporis in S. Eucharistia vsum degeneres isti anonymi Confessionis August. defensores vno verbo sustulisse sibi probè videntur, cùm magno supercilio contra Scripturam, contra veteres PP. contra ipsam adeò Confessionis suæ apologiam asseuerant: Neque ideo institutum est (inquiunt fol. 112.) Sacramentũ hoc, vt sit oblatio, vel sacrificium quod nos offeramus Deo.

Quod si non est ideò institutum, fallunt Patres Orthodoxi, fallunt omnes vbique terrarum Ecclesiæ sic ab Apostolis erudi-

eruditæ, fallit denique iactata iſta Confeſſionis veſtræ Auguſtanæ apologia, quæ Sacramentum rectè appellari docet ſacrificium : quod ex Patrum teſtimoniis docet à nobis ritè offerri Deo in laudem & gratiarum actionem.

Quod dum profitetur apologia, neceſſe eſt vt & profiteatur Corpus Domini Deo Patri iuxta verbum Dei à nobis offerri in laudem atque adeò in gratiarum actionem.

Missæ ſacrificiũ agnoſcunt proteſtãtes, veteres ac veri Confeſſioniſtæ.

Quo enim pacto alioqui rectè Deo offeratur? quod ingenuè agnoſcit PP. Orthodoxorum teſtimoniis conuicta Apologia.

An hic anonymi iſti apologetici & ſuis obſtrepere audebant magiſtris, nullam eſſe in verbo Dei ſyllabam de oblatione? Vnde ergo rectè Sacra Euchariſtia dicitur ſacrificium? Vnde rectè à nobis Deo in laudem & gratiarum actionem offertur?

An iſtud ſuis à magiſtris contra Dei verbum & dictum & ſcriptum auſint effutire? idque. in apologia Confeſſionis Auguſtanæ, quam Canonicæ Scripturæ audent æquiparare? Quod ſi tam perfrictæ frontis Cyclopes nunc habet Saxonia, magis ac magis eſt piis omnibus deploranda.

Conſenſus Catholicorũ cum antiquis Cõfeſſioniſtis: & qua parte diſſentiãt de ſacrificio miſſæ.

Certè candidiùs iuxtà ac benigniùs, & ad pacificationem Eccleſiarum aptiùs agit apologia, quæ Orthodoxorum PP. teſtimoniis perſuaſa, & adeò conuicta non tam improbè audebat negare toto ex genere Sacram Euchariſtiam eſſe oblationem, ſiue ſacrificium, quod nos rectè Deo offeramus. De quo vt inter Catholicos & Confeſſioniſtas veteres conuenit quo ad ſacrificium laudis, ſiue gratiarum actionis: ita diſſenſio eſt, an vllos alios in vſus rectè idem Sacramentum offeratur; puta pro viuorum ſalute & ſaluberrimo mortuorum auxilio. Quæ controuerſia quantum huic inſtituto fuerit ſatis, nunc erit paucis perſtringenda.

An offerẽdum miſſæ ſacrificiũ pro viuorum & mortuorum ſalute.

Ex illo igitur Chriſti Domini mandato; Hoc facite in mei commemorationem (quibus verbis offerendum corpus ſuum Deo Patri mandauit, vti nunc conſenſu Orthodoxorum ſcriptorum, liquidiſque teſtimoniis eſt confirmatum) videtur ortum, quod Apoſtoli ſacrificaſſe leguntur.

Quod Apostoli ex Dei mãdato & Christi instituto obtulerint.

Act.13.

Sic enim D. Lucas, Act. 13. liturgiam eos fecisse annotauit, λιτουργούντων δὲ, cùm illi Domino ministrarent, siue liturgiam illam facerent, quæ & hodie Græcis appellatur liturgia: ea autem Latinis est missa. quod rectissimè vertit Erasmus, Cùm Domino sacrificarẽt. In quem autem finem, aut quo vsu Apostoli Antiochiæ sacrificium Deo obtulerint, nunc exactiùs exquirere supersedebimus: ne certa incertis inuoluamus, & quod verum est, disputando amittamus. In gratiarũ actionem obtulisse non negarint veteres Cõfessionistæ. cæterùm an pro Euangelij successu, an pro gentium conuersione, an pro Iudæorum resipiscentia, aliisúe piis vsibus, nũc silentio præteribimus. In præsens enim suffecerit demõstrasse, Apostolos sacrificasse, siue S. Eucharistiæ sacramentum Deo immolasse & obtulisse; quod illa D. Lucæ vox liturgia planiùs sonat, quàm vt pluribus verbis sit exponendum. Illa enim cauillatiuncula, liturgiã eo loco pertinere ad officium prædicandi, ineptior est atq; insulsior, quàm vt sit refutanda fusius. non enim temerè coniunxit Spiritus S. ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus.

In quem vsum sacrificarint corp⁹ Domini Deo Apostoli.

Aliud est apud D. Lucã liturgiã facere, aliud prędicare, cõtra Desiderij somniũ.

Neque hanc ad liturgiam Apostolis fuit altari opus: quod in Christianorum Ecclesiis fuisse tot disertis verbis docet Paulus, habemus altare (inquit ad Hebræos cap. 11. collatione facta inter Christianam & Aaronicam aram) de quo edere non habẽt potestatem, qui tabernaculo Mosaico deseruiunt. Quod Apostolorum altare fuisse ad S. Eucharistiæ oblationem, & quæ illam sequitur, S. communionem institutum, idem Paulus ad Corinthios docet perspicuè. 1. Corinth. 10.

Apostolis sua fuisse altaria vbi sacrificabãt. 1. Cor. 10. Hebr. 11.

II. Vsus sacrificij missæ alius ex Concil. Neceni decreto.

Vt igitur Apostolorum oblatio, siue corporis dominici immolatio in gratiarum actionem non fuit contra verbum Dei, aut institutum Christi; ita nec illa eiusdem sacramẽti oblatio, „ quæ à sanctiss. Concilij Niceni Patribus 318. fuit die Paschatis „ celebrata pro dominica resurrectione. Nam Apostolorũ exem„ plum imitati, eorumque insistentes vestigiis, constituerunt in Concilio Niceno (vti D. Ambrosius epist. 83. nobis testis est) vt vna nocte vbique sacrificiũ pro resurrectione Domini offeratur. hic sanè oblationis vsus ac finis lõgè alius est ab illa gratiarum actione pro passione Domini; in quem finem ait apologia legitimè hoc Sacramentum Deo Patri offerri.

Quod

Quòd si legitimè pro Domini passione, quidni & pro Domini resurrectione? deinde quid ni & pro eius ascensione, atq; Spiritus S. in Apostolos missione? Ista quidem nemo sanæ mentis rectè ac legitimè fieri in gratiarum actionem iuerit inficias. III.

Sed plus mouebit scrupuli apologeticis, An offerre hoc Sacramentum Deo liceat pro gloria martyrum? Quod nouũ & inauditum affirmare non possunt: cùm D. Cyprianus clarissimus Christi martyr hac de caussa martyrum nomina iusserit à diaconis annotanda, vti habet Epist. 6. lib. 3. IIII. Vsus sacrificij missæ pro gloria martyrum.

Similiter & pro mariti dormitione olim ætate illa Apostolica Christianas obtulisse vxores, sicuti & pro fratrũ obitu Christianos omnes, disertissimis verbis contestantur D. Cyprianus, epist. 1. lib. 2. & eius magister Tertullianus. Porrò an in gratiarum actionem tantum, quod concedit apologia; an etiam in propitiationem siue indulgẽtiam peccatis ipsorum impetrandam, inferius excutietur pleniùs simul & oportuniùs. V. Pro mariti dormitiõe Tertull. ad vxorem. Pro fratrum requie olim oblatum missæ sacrificium.

Hoc loco suffecerit, ex apologiæ consensu, contra degeneres Confessionistas euicisse, licere hoc Sacramentum Deo offerre pro viuis & pro mortuis.

Pro viuis quidem apertissimè profitetur apologia; quia vtitur ceremonia (inquit) ad laudem Dei, vt hac obedientia gratitudinem ostendat, & testatur se magni facere dona Dei. Ita fit ceremonia sacrificium. Quod si ita habet: quid ni liceat cũ D. Cypriano idem Sacramentum pro gloria martyrum Deo offerre? an non vtatur hac ceremonia Cyprianus ad Dei laudem? an non gratitudinem Deo ostendat gratias agens, quòd tam fortes donarit Christianos fratres, qui ad 200. pro Dei gloria celebranda & fide Christi in Africa stabilienda in viuas calcarias ardentissimas sese viuos prçcipitarint? Quod moderati ingenij homo negare non potest in gratiarum actionem fieri, ac in Dei laudem. Certè D. Augusti. quæstione ad Dulcitium 4. disertè docet, quibusdam defunctorum altaris sacrificiũ esse Eucharisticum siue gratiarum actionem. Consensus Apologiæ cũ Catholicis de missæ sacrificio pro viuis & mortuis.

Consequitur igitur licere ex apologiæ doctrina S. Eucharistiam Deo Patri offerre non non solũ pro viuis, sed & pro mortuis: quia pro vtrisque offertur Deo in laudem & gratiarum actionem, quod sicuti expresse pro viuis non extat in literis

Euangelicis, sed rectè colligitur, idq; ex Orthodoxorum Patrum consensu perpetuo, ita & pro mortuis.

Verùm hac de re cũ antiquioribus Confessionistis facilè conueniat, cũ ingenuè agnoscat, sine Scripturæ tamen testimoniis, rectè ac legitimè offerri in gratiarum actionem, nõ ita verò facilè fortassis de vsus sacrificij Christiani pro mortuorũ requie; siue, vti olim Cypriani ætate loquebatur, pro defunctorũ dormitione, aut tempore Ambrosij, pro die obitus, pro septenario & tricenario. Nam hæc doctrina quæstionem illam expediat, An missa sit sacrificium propitiatorium?

An missę sacrificium sit propitiatorium?

Quæ quidem quęstio plus hoc tempore mouit tragœdiarũ, quàm rei merebatur aut difficultas, aut obscuritas. Nam si Orthodoxorum sententiis ac perpetuo Ecclesiarum omniũ consensui ab Apostolorum vsque tẽporibus stare est animus, quod Confes. Augustanæ proceres disertè profitentur, nulla prorsus est amplius dissentiẽdi causa. Quod vt fiat omnibus luce ipsa manifestius, vniuersa orbis climata percurremus, clarissima Ecclesiæ Christianę lumina huc recitantes. D. Athã. orat. pro defunctis, vti Damascenus ex eo citat, Oleum & cerei sunt holocaustum: verùm incruẽta illa hostia ἐξιλασμὸς est propitiatio. D. Cyrillus Ierosol. Catechesi v. mystagog. Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis & illis (defunctis fratribus) peccatoribus Deum benignissimum ἐξιλεούμενοι reddamus propitiũ. Et libr. quæst. q. 34. Sicut vinũ in vase reclusum conflorescit vna cũ vite in agro efflorescente: ita intelligimus peccatorũ animas participare aliqua beneficia ab incruẽta immolatione & gratificatione pro ipsis facta.

Ex omnibus orbis Christiani climatibus demonstratur, missę sacrificiũ semper habitũ propitiatorium. Ex Oriente D. Athanas. D. Cyrillus Ierosol.

Origenes ille Adamantius Alexandrinæ Ecclesiæ Catechista scribẽs in Leuiticum cap. 23. homil. 13. docet hanc commemorationẽ, de qua (inquit) Dominus dicit, Hoc facite in mei commemorationem, esse solam, quæ Deum hominibus facit propitium. Antiochenæ Ec. testimonium multò certissimum ex D. Iohan. Chrysostomi Antiocheni homiliis & liturgia dudum commemoratis petatur. Quid verò iam olim & senserit, & in hanc vsque horam faciat Syria & Mesopotamia, ex D. Basilij liturgia est manifestissimum, quam vir clariss. D. Andreas Masius de Syro cõuertit, vbi sic legitur: Memẽto Do. ad aram

Origenes.

Ec. Antiochenæ ac Mesopotamię testimonia.

tuam

tuam cælestem eorum omnium, qui transierunt de hoc mundo angustiarum pleno. Erue ipsos ex tenebris & caligine, atque ex tribulatione, doloréque eripe: appareatque eis facies tua pacifica, neque intres cum ipsis in iudicium, accuratáue quæstioné habeas de acta vita: sed obliuioni trade errores ipsorū.

Ita quidem per Oriente Orthodoxi illi Patres docuère. Nūc quid Occidens testetur audiamus. D. Ambrosius Deo supplicat, vt pro fratre Satyro defuncto propitius fraternum capiat sacerdotis munus. Sic & illa ad AA. Gratia. & Valent. apostrophe, Nulla nox (inquit orat. funebri) vos nō dotatos aliqua precum mearum contextione transcurret, omnibus vos oblationibus frequentabo. Dixerat enim paulò antè, Date manibus sancta mysteria, pio requié ei poscamus affectu! date sacramenta cælestia, animá piam nostris oblationibus prosequamur! Extollite populi mecū manus in sancta, vt eo saltē munere vicem eius meritis rependamus. non ego floribus tumulū eius aspergam, sed spiritum eius Christi odore perfundam. Spargant alij plenis lilia calathis, nobis lilium est Christus; hoc reliquias eius sacrabo, hoc eius gratiam commendabo. Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt. Ex Occidente. D. Ambrosius.

Eruditissimus ille iure optimo Venerabilis dictus Beda doctrinam Ecclesiæ Christianæ ex Orthodoxorum PP. scriptis admirādo studio prȩclarè haustam, suis perfideliter admodum Anglo-Saxonibus exposuit. Illud enim Iohan. Euangelistæ de Baptista elogiū, Iohannes testimonium perhibuit, interpretaturus docet electorū quosdā propter mala, inquit, quibus hinc polluti, discedunt, seuerè castigādos, flāmis ignis purgatorij diu excipi, inisi fidelium precibus, eleemosynis, & hostiæ salutaris oblationibus, soluti pœnis, ad beatorū perueniāt requiē. Idem docet & in Prouerb. Salo. cap. 11. Anglicanæ histo. 4. cap. 22. Beda.

Sed quid noster, fortè inquias, Septentrio hac de quæstione sensit? Sanè idem quod aliæ orbis habitati plagȩ. Scribit Euseb. Cæsarien. li. 4. de vita Constan. A. Episcopos ex Thracia totáq; vicinia euocatos nō solùm pij populi lachrymis votisq; suas adiunxisse ad Deum preces, sed & ὑπὲρ τῆς βασιλέως ψυχῆς pro imperatoris anima mysticas liturgias, diuinum sacrificium, ritusque diuinos celebrasse. Ex Septētrione. Episcopi Thraciæ offerūt pro anima Constantini A. in exequiis.

Sic

Sic & per Cappadociam pro mortuis fuisse oblatum hoc diuinæ liturgiæ sacrificium D. Basilius nobis est testis, dum in liturgia orat, Memento Do. omnium dormiẽtium in spe resurrectionis vitæ æternæ, & refrigera eos vbi visitat lux vultus tui. Suffragatur & germanus eius Gregor. Nissenus. Res autẽ multis modis vtilis est, inquit, teste Damasceno, & Deo in primis grata, in diuinis præclarisque sacris operationibus, eorũ qui in recta fide decesserunt, manifestam facere mentionem.

Basilius.

Gregor. Nissen.

Horum vestigiis insistens pius discipulus Effrem sub vitæ finem suos hortatur, vt non solùm in orationibus sui defuncti meminerint: sed obsecrat etiam & assiduè pro se offerre, diéq; tricesimum celebrare dignarentur. Mortui enim, inquit suo in testamento, beneficio afficiuntur in oblationibus recordationum sanctorum viuentium. Hanc fuisse veterum Græcorum omnium siue ad Orientem, siue ad Septẽtrionem nostrum, fidem; paucula hæc testimonia satis superq; piis persuadeant. & ne cui vllus supersit scrupulus, non fuerit abs re, illud commemorasse, Moscouitas etiam olim hanc habuisse fidẽ. Siquidem Wolodomirus mysteriis Christi initiatus vna cum Leone Metropolita. constituit decimas omnium rerum esse dandas propter pauperes, pupillos, senes, captiuos, monasteriorum Ecclesias, & in primis propter defunctorum & viuorũ refrigerium. Vide Sigismundum Baronem.

D. Effrem.

A fide & moribus Moscouitarum.

Porrò ne quid supersit ambigui, Theophilactum hac ex Boreali plaga accersamus testẽ. Is in Lucę cap. 12. illud exponens, Timete eum, qui postquam occîdit, potestatem habet mittere in gehennam, Nõ semper, qui moriuntur peccatores, ait, mittuntur in gehẽnam, sed sunt in potestate Dei, vt etiam dimitti & ignosci possit. Hoc autem dico (διὰ τὰς ἐπὶ τοῖς κεκοιμημένοις γινομένας προσφορὰς, καὶ τὰς διαδόσεις, αἳ οὐ μικρὰ συντελοῦσι τοῖς καὶ ἐν ἁμαρτίαις βαρείαις ἀποθανοῦσι) propter factas pro mortuis oblationes & distributiones siue largitiones eleemosynarum, quæ non parum conducunt etiam his, qui in grauioribus mortui sunt delictis.

Theophilactus docet sacrificiũ mortuis prodesse.

Quod si ad meridiem nos conuertamus, res quæ nunc in manibus est, ipsa meridiana, quod dicitur, luce fiat clarior. Nã synodus quædam Carthaginen. vetus, vti D. Cyprianus epist. 1. lib. 2.

Ex meridie testimonia pro altaris sacrificio, quod defunctis prosit.

lib.2.commemorat,totius conuentus nomine vetuit non esse pro Geminij Victoris dormitione offerendā altaris oblationē, aut aliquam pro eo in Ecclesia frequentandā deprecationem.

Huc facit & illud quod apud Tertullianum legitur. Et iam repete apud Deum,inquit exhortat. ad castitatem , pro cuius spiritu postules,pro qua oblationes annuas reddas.Stabis ergo ad Deum cum tot vxoribus, quot illas oratiōe commemoras, & offeres pro duabus,& commemorabis illas duas per sacerdotem,& cæt.& ascendet sacrificium tuum libera fronte.

Verùm ne quid supersit pio Lectori veritatem ex animo quærenti aut scrupuli aut dubij, vnus effecerit D.Augustinus, qui omnium disertissimè variis in locis docet,tremendum altaris sacrificium esse quibusdam defunctorum gratiarum actionem,quibusdam verò propitiationem.

Cùm ergo sacrificia (inquit cap.110.Enchiridij ad Laurēt.) siue altaris,siue eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offerantur;pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt.

Hanc ipsissimam Euangelij doctrinam eisdem verbis repetit, adeoque recitat quæst. ad Dulcitium quarta. Siquidem hæc res tam fuit semper apud Orthodoxos PP. indubitatæ fidei, vt qui negaret altaris sacrificium prodesse mortuis, mox audiret,hæreticus,quemadmodum de Aerio contestatum faciunt D.Epiphan.August.& Damascenus de hæres. Perspicuè igitur patet,non modò hoc Sacramentum à Christo Domino Deo Patri fuisse in cœna oblatum:sed & Apostolis mandasse, vt ipsum eidem offerrent;quod ex perpetuo Ecclesiarum omnium consensu demonstratum est,toto semper orbe Christiano fuisse oblatum.

CAETERVM quia nūc in manibus est illa quæstio,An rectè corpus Domini in missa pro Christianorum vsibus offeratur;& altera,vnde illa dependet,An in cœna Christus Deo Patri obtulerit;non parum vtique lucis vtraque accipiat, si diuina Prophetarum oracula, illosq; Mosaicos consulamus typos; quos D.Paulo interprete, certissimas esse rerum à Christo gerendarum,adeoque implēdarum prophetias, est piis omnibus indubitatissimum. CAP. XVII.

Mandat in ceremoniis Moſaicis Dominus Aaronem antequam ad propitiatoriũ ingrederetur (quod oblati in crucis ara corporis Dominici fuit typus) debere vitulum pro peccato offerre, & arietem in holocauſtum, Leuit. 16.

Similiter & Caprum illum Græcis, ἀποπομπαῖον, Latinis emiſſarium dictum, priuſquam in ſolitudinem extra caſtra ablegaret ſacerdos Aaronicus, offerendum eſſe ad oſtium tabernaculi cum precibus ſolemnibus. Statuet eum viuum, inquit, coram Domino, vt fundat preces ſuper eum, vt emittat eum in ſolitudinem. In horum ſacrificiorum & aliorum ad vnum omnium locum, quia Eccleſia vnicum habet à Chriſto Domino inſtitutum ſui Sacroſancti corporis ſacrificium, rectè dicitur in omnes illos Chriſtianos valere vſus & fines, in quos omnia illa Moſaica ſacrificia huius vnius typica & figuratiua.

Sed cùm hæc de ſacrificij Chriſtiani vſu doctrina Orthodoxorum Patrum teſtimoniis ſit oſtenſa liquidior, quàm vt typis illuſtretur Moſaicis, age nunc demonſtremus diuina Prophetarum oracula poſtulaſſe, vt à Chriſto Domino inſtitueretur ſacrificium, quod toto orbe eſſet Deo Patri à Chriſtianis offerendum.

Extat luculentiſſima huius rei pictura (vt alios in præſentiarum fileamus) apud Malachiam Prophetam: vbi cauſam Deus Pater exponit Iudæis impuris & ingratis, cur ſordida ingrataque ipſorum contemnat ſacrificia.

Malachias. Ab ortu enim ſolis, inquit, vſque ad occaſum magnum eſt
„ nomen meum in gentibus; & in omni loco ſacrificatur, & of-
„ fertur nomini meo oblatio munda. Hic ſi nos ipſos nobis ſequi nolumus magiſtros, venerandum illum obſecro conſulamus Chriſtanorum Patrum Senatum; quos audies Lector Chriſtiane vno ore præclariſſimum hoc oraculum de quotidiano diuinæ miſſæ ſacrificio interpretari: quod Chriſtus Dominus ipſe ita inſtituerit, atque adeò in finem vſque ſeculi offerendum mandarit.

I. D.Iuſtinus. D. Iuſtinus dialogo cum Triphone Archiſynagogo Epheſio, Proferã, vobis amici, inquit, opera Dei & facta, cum per Malachiam ad populum loquitur, Non eſt voluntas mea in vobis, nec ſacrificia veſtra accipio, propterea quod ab Oriente vſque

ad

ad occasum nomen meum in nationibus in gloria fuit atq; omni loco hostia nomini meo, atque munda θυσία προσφέρεται immolatur. Et paulò post: Ei enim acceptæ sunt, gratæque nationes, hostiasque libẽtius meliusq; à nobis, quàm à vobis accipit. Itẽ post pauca: De iis hostiis, quæ ipsi à nobis gẽtibus vbiq; offeruntur, id est, de pane Eucharistiæ, & populo similiter Eucharistiæ tum prædicit, cùm ait, à nobis nomen suum gloria affici: à vobis autem pollui.

D. Irenæus lib. 4. cap. 32. Christus suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, nõ quasi indigenti; sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, cum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit dicẽs; hoc est meum corpus. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ secundum nos est, suum sanguinem confessus est, & noui testa. nouam docuit oblationem; quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimẽta nobis præstat primitias suorũ munerum in nouo testa. de quo in XII. Prophetis Malachias sic præsignificauit, Nõ est mihi volũtas in vobis. Et ca. seq. quoniã nomen filij proprium, patris est, & in Deo omnipotẽte per Iesum Christum offert Ecclesia, bene ait secundum vtraq;. Et in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum. Et cap. 34. Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in vniuerso mundo, purũ sacrificium reputatũ est apud Do. & acceptũ est ei, nõ quod ei opus sit nostro sacrificio, non quod indigeat à nobis sacrificium, sed quoniã is qui offert, glorificatur ipse in eo, quod offert, si acceptetur munus eius.

II. D. Irenæus, qui Polycarpũ aliosque Apostolorum discipulos vidit & audiuit.

Euseb. Cæsarieñ. libr. I. de demonstrat. Euang. eundem exponens locũ, offertur incensum & hostia munda in omni loco, Sacrificamus igitur (inquit) Deo altissimo sacrificiũ laudis, sacrificamus Deo plenũ & horrorẽ afferẽs, & sacrosanctũ sacrificiũ, θύομεν τὸ ἔνθεον καὶ σεμνὸν καὶ ἱεροπρεπὲς θῦμα, sacrificamus nouo more secundum nouum testamentum hostiam mundam.

III. Euseb. Cæsar. li. I. de demõstrat.

Eandẽ D. Prophetæ pericopẽ tractans D. Chryso. Vides quomodo cultus nobilitatem manifestauit, inquit Ser. illo aureo; quod Christus est Deus, quomodo excellẽtiã & immutationẽ eius, quod non in loco, sed in modo; non in nidore & fumo, sed in alio cultu nostra erũt ministeria. Et rursus eodẽ Ser. inferius,

IIII. Chrysosto. Sermone; Quod Christus est Deo Abolito Iudaif.

 In

mo Christianismum monstrauit, nouumque cultum. In omni loco sacrificium offertur mihi,& oblatio pura. Vides quomodo manifestè & Iudaismum eiecit,& Christianismum monstrauit effulgentem,vbique in terra diffusum,rationemq; cultus significauit?

V. D. Hieron. Idem & D.Hiero.intellexit.Hunc enim locum in comment. exponēs: Propius nunc ad sacerdotes Iudęorum, ait, sermo fit Domini,vt sciant carnalibus victimis spirituales victimas successuras,& nequaquam taurorum hircorumq; sanguinem,sed Thymiama,hoc est,sanctorum orationes Domino offerendas, & non in vna orbis prouincia Iudæa,nec in vna Iudeæ vrbe Ierusalem: sed in omni loco offerri oblationem nequaquam immundam , vt à populo Israel , sed mundam, vt in ceremoniis Christianorum.

VI. D. Augustin. Sic & D. August.de Ciuit.lib.19.ca.23.In lege scriptum est, sacrificās diis,eradicabitur; nisi Domino tantū.Et mox,Huius autem præclarissimum atque optimum sacrificium nos ipsi sumus,hæc est ciuitas eius,cuius rei mysterium celebramus oblationibus nostris,quæ fidelibus notæ sunt,sicut in libris præcedentibus disputauimus. Cessaturas enim victimas, quæ in vmbra futuri offerebant Iudæi, & vnum sacrificium gentes à solis ortu vsque ad occasum,sicuti iam fieri cernimus oblaturas,per Prophetas Hebræos oracula increpuēre diuina.

Et lib.1.contra aduersarium legis,cap. 18. Sacrificiis autem Deum non egere,quis nescit? sed nec laudibus nostris eget. Verùm sicut nobis,non illi, vtile est laudare Deum ; sic nobis, non illi vtile , offerre sacrificium Deo.Et quoniam singulari & solo vero sacrificio pro nobis Christi sanguis effusus est ; ideo primis temporibus ad hoc sacrificium talibus significationibus prophetandum,immaculatorū animalium sacrificia Deus sibi iussit offerri.Et cap.20.Ecclesia ab Apostolorum temporibus per Episcoporum successiones certissimas vsque ad nostra & deinceps tempora , perseuerat & immolat Deo in corpore Christi sacrificium laudis,ex quo Deus Deorum loquutus vocauit terram à solis ortu vsque ad occasum.

Et paulò post: Vnde alius Propheta dicit ad eum, qui carnaliter est Israel: Non est mihi voluntas in vobis,dicit Dominus. Ecce quod est secundum ordinem Aaron. Cùm autem hoc

non

non accipiat, addit & dicit: Quia ab ortu solis vsque ad occasum, glorificatum est nomen meum in gentibus. Ecce quod secundum ordinem Melchisedech. Rursus li. 18. de Ciuit. ca. 35. Malachias prophetans Ecclesiam, quam per Christum iam cernimus propagatam Iudæis aptissimè dicit ex persona Dei, Non est mihi voluntas in vobis; ab ortu enim solis, & cæt. hoc sacrificium per sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, cum in omni loco Deo iam videamus offerri, sacrificium Iudæorum cessasse negare non possunt.

Damascenus lib 4. cap. 14. Orthodox. fidei, hæc est pura scilicet hostia & incruenta, quam ab ortu vsque ad occasum ipsi offerri per Prophetam Dominus loquitur, corpus videlicet & sanguis Christi in stabilimentum animæ nostræ & corporis inconsumptum & incorruptum. VII. Damasc. libr. 4. cap 14.

D. Remigius Altisiodoren. Galliæ suæ doctrinam testaturus, eandem Prophetiam simili exponit sententia, docet, Carnalibus illorum victimis spirituales successuras, nec in vna tantum prouincia Iudæorum, sed in omni loco offerre Deo mundam oblationem, hoc est, sacrificium, quod nunc frequentat Ecclesia. Sed vela nobis contrahenda sunt, vt ad ea quæ huius controuersiæ supersunt explicanda decurrat oratio. VIII. D. Remig.

CAP. XVIII. Responsio ad argumenta Cõfessionistarũ contra quotidianũ S. missæ sacrificium.

NVNC si in medium veniant argumẽta, quę aduersus hoc manifestissimũ Christi Domini de offerendo Deo Patri suum corpus & sanguinis institutum disertis adeò veterum PP. verbis contestatum, perpetuoque Ecclesiarum omnium cõsensu traditum, & in hanc vsque ab Apostolorum ætate toto orbe perpetuatum obiiciunt Confessionistæ, facile fuerit ea refellere. Vltrò enim haud aliter atque ad solis lucem tenebræ diffugiant & euanescant istæ nebulæ, tam illustri Euangelicæ doctrinæ lumini temerè prorsus offusæ.

His porrò argumentis & si in Panoplia nostra fit abundè factum satis, quod lepidi isti Confessionistarum apologetici fraudulenter dissimulare maluerunt, recitantes loca alia, quibus noua ipsorum doctrina illic est liquidò refutata; quàm solidum aliquid ad eorum solutionem respõdere: nos tamẽ in gratiam eorum, qui illam fortassis non legerunt, aut à ductoribus aliter q̃ rei veritas habet, sunt persuasi, paucis & hic respondebimus.

Hebr. 7. Quod igitur ex epistolæ ad Hebræ.c.7.adferunt,nihil quotidiano Christi Domini suos per vicarios sacerdotes obstat sacrificio;cùm Paulus eo loco Christi sacrificium Iudaico conferat,multò efficacius hoc illud esse demonstrans. Non enim nos docemus Christo necessitatem esse quotidie,quemadmodum sacerdotibus prioris testamenti,offerre prius pro suis delictis hostias;deinde pro populi:sed vno illo Crucis Dominicæ sacrificio semel expiati,docemus non amplius Christum debere cruentam crucis hostiam offerre; sed in illius tamen oblationis memoriam,atque vti D. Chrysostomus ait,commemorationem idem Dominici corporis sacrificium immolandum; non cruenta specie,sed incruenta.vti Concil. ait Nicenum & Ephesinum,cæterique Patres Orthodoxi disertis verbis hæc sacrificia docuere distinguenda.

In eandem sententiam & alia ex epistola ad Hebræos per vafros Confessionistarum patronos allegata loca sunt accipienda,quemadmodum alibi diffuse,idque Orthodoxis PP. consentaneè demonstrauimus.

Non est iteratò immolanda à Christo alia hostia,idque specie cruenta & sanguinatia, siue mactatoria.

Cæterùm quod Epiphonematis loco ex eadē adtexūt epistola,Vbi peccatorū est remissio,ibi nō est amplius oblatio pro peccatis;insignem sanè resipit istorum Theologorum oscitantiam;quæ vel semel inspecto D. Pauli loco luculentis Orthodoxorum Patrum commentariis illustrato,eos inexpiabilis arguat ignorantiæ. Siquidem D. Paulus in disputatione illa contra Iudaizantes (qui & Christo volebant quotidianam esse debere hostiam , sicuti Aaronicis sacerdotibus) perseuerans asserit vnam Christi oblationem illam cruentam in cruce peractā esse instar omnium: quæ vna semel immolata omnia omniū prorsus aboleuit crimina. Quidquid igitur de vna Paulus dicit hostia:itē, quod nō est opus alia illius oblatione; id eo sensu est accipiendum,scilicet vt offeratur alia hostia à Christo specie iterum cruenta; qualis illa fuit in cruce immolata;& vt eiusdem fiat oblatio tali modo atque figura , qualis illa fuit ad expianda omniū peccata in ara crucis semel oblata.

Quod D. Chrysost.Theodoretus,Photius,Oecum.Ambrosius aliique Orthodoxi interpretes luculentis verbis cōtestantur:ideoque loca ex epistola ad Hebræos allegata quotidianis

nihil

nihil officiunt sacrificiis, quæ in Ecclesia loco & vice Christi (vti Cyprianus & Ambros. loquuntur) offerimus. Non enim sunt hostia cruento schemate ac sanguinaria specie sicuti illa olim in cruce semel immolata, à qua suam hauriunt vim nostratia: quia in illius vnius commemorationem, iuxta Christi mandatum, vti ostensum est, offeruntur. Nihil enim verba D. Pauli magis contra quotidianum Ecclesiæ sacrificium valent, quam contra quotidianum Christi Domini in cælo apud Patrem sacrificium: quemadmodum alibi ex D. Ambros. diffusius explanauimus, Panopliæ lib. 4. cap. 51. vbi Confessionis Augustanæ argumenta ex his ipsis D. Pauli verbis sophisticè contexta solidè ac luculenter videre est dissoluta.

Sacrificiū quotidianū non repugnat sacrificio Christi semel facto: quia non fit specie cruenta.

Vide Ambros. lib. de offic.

Porrò alia omnia Patrum testimonia à Confessionistis ex Augustino, Chrysosto. & Gelasio allata communem nostram aduersus Sacramentarios stabiliunt fidem de veritate corporis Dominici in S. Eucharistia præsentis. Inter quæ vna est D. Gelasij sententia, quæ si rectè veréque intelligatur, nihil officit elementorum panis & vini transmutationi, siue transubstantiationi.

Ad D. Gelasij locum responsio de transubstantiatione.

Cùm enim paulò inferius priora explicaturus expresse dicat Gelasius, panem & vinum transire in diuinam (corporis & sanguinis Christi) substantiam, nihil officit veræ huic transubstatiationi, quod superius dixit: Non desinere substantiam vel naturam panis vel vini. hic enim naturam vocat, quod inferius sese planiùs explicans dicit, naturæ proprietatem, quæ verè manet in S. Eucharistia apud Catholicos consecrata; manet namque naturæ color, manet odor, sapor, aliaque veram veræ substantiæ proprietatem demonstrantia.

Manere naturā D. Gelas. explicat, manere naturæ proprietatē siue accidentia.

Sed quòd ipsa panis vinique substantia, per quam res vera ante consecrationem fuerat, fit in corpus Domini mutata planè D. Gelasius docet, asserens panem & vinum in diuinam Sancto Spiritu perficiente transire substantiam. Hic si Diuus Gelasius totam panis vinique substantiam sensisset cùm noua nouorum Confessionistarum doctrina persistere post consecrationem; & cum pane & vino dari corpus Christi, non disertè addidisset, Sancto spiritu perficiente. Demonstraturus enim quod omnem excedit ingenij captum,

quod

quod dixerat panem & vinum transire in diuinā substantiam, addidit tanti mysterij caussam, veréq; cælestis operationis cælestem authorem, Sancto Spiritu (inquiens) peragente. Huic vni enim diuinam hostiæ mysticæ consecrationem, siue panis viniq; transmutationem ferimus acceptam, quod sua pro diuina omnipotentia, modo hominibus magis certo quam noto, licèt non incredibili, neq; à fidei mysteriis alieno, panem in corpus & sanguinem Domini transmutat, siue transelementat, siue transubstantiat: variis enim nominibus res hominibus noua & inaudita fuit à mystagogis significanda & enuncianda, quemadmodum Latinæ linguæ parens M. Cicero multis in locis præcipit.

Ad loca contra sacrificium, pro defunctis.

Cæterùm quod aduersus corporis Dominici oblationem pro mortuis obiiciunt Confessionistæ ex cano. Conc. 3. Toletani, Catholicę nihil obsistit doctrinæ. Siquidem Canō ille 22. solum de Christiano ritu efferendi ad sepulchrum funeris statuit, vetans ne paganica amplius carmina in exequiis Christianorum à vulgò decantentur.

Apologetici mediū Canonis supprimunt, & finem decurtāt: ne plagiū agnoscatur ab incautis, vtque imperitis furum faciant.

Quod vel Confessionistæ ipsi non possunt ire inficias, si Canonem nobis obiectum recitassent totum. Sed fide parum bona rem summi sanè momenti agētes, ex Canonis allegati medio sustulerunt, quod Canonis causam continet; vnde germanus eius sensus solidissimè petatur. Nam funebre carmen (inquiunt PP. Toletani Concil. III.) quod vulgò cantari solet, vel in pectoribus (lego pecoribus) aut proximos, aut familias cedere, omnino prohibemus.

Hæc allegati ab anonymis S. Canonis ratio indicat, carmina illa vulgò decantata fuisse paganica, veterisque Ethnicismi reliquias non obscuras: quæ Pytagoricam quandam, siue forte Druidarum metempsychosin impiamq; animarum in bestias, aut pecora, aliáue corpora transmigrationem sapiebant, quod illę voces in Canone perspicuè loqui videntur, defunctos in familias aut proximos cedere. Quod ergo aduersus idololatriā & manifestas auiti paganismi reliquias illo sacro Canone constitutum est, nihil facit contra venerandum missæ sacrificium: cùm non agat Canon de omnium Christianorum sepultura, sed tantum religiosorum, vt quidem veteres codices habent,

Canō aduersus reliquias paganismi de Pythagorica metempsychosi.

bent,& finis Canonis,quē religiosi isti Apologetici per suum & cætera, decurtant & abrumpunt sacrilege, conuincit apertissimè.

Stolidū igitur est epiphonema, quod ridiculi isti homines triūphum ante victoriā canentes adtexunt: En hic tantū Psalmi(inquiunt) & cantiones de resurrectione cani iubentur, cū exuuiæ piorum efferūtur,non missæ ad expianda eorum peccata demurmurari. Atqui ô boni viri id verum non est, tātum Psalmos de resurrectione esse cantandos hic iuberi;sed statuitur in spe resurrectionis mortuis pium diuinorū impendi canticorum famulatum: quod impia excludit cantica; non missæ sacrificium. Neque de toto defunctorum officio Canon agit, cuius pars sunt Psalmi diuini, sed tantum de efferendo ad sepulturam corpore. non denique Clericis vetat officium Ecclesiasticum tunc vbique terrarum anno 620. solemne mortuis in Christo fratribus præstare;sed tantum Laicis interdicit carmina pristinum paganismum redolentia, quādo in funus prodeunt,decantare.

Missas enim per Hispaniam illa ętate Conc.3. Toletani habitas,id est,fuisse & tunc temporis, anno 620. pro defunctorū in Domino requie oblatum Christi Domini mediatoris ad altare sacrificium notius est ex Canone 11.& 16. Concilij 4. Tolet. quam vt copiosius sint huc cum piorum lectorum fastidio recitandi.

Porrò quod sua in Antithesi Confessionistæ attexūt, manifestam habet in Catholicos calumniā,quod transformant cœnam Domini,inquiunt,in opus toto genere diuersum ab eo fine,qui à Christo propositus fuerat,cū dicunt se offerre filium Dei pro viuis & mortuis.

Istud enim nō esse opus à fine,qui à Christo propositus fuerat, toto genere diuersum , ex superioribus clarissimè liquet; sed fuisse à Christo institutum,immo,quod suo exemplo prior gesserat, & faciendum monstrarat,disertè mandatum , si Cypriano,Irenæo,Euseb. Cęsarien. Photio,Theodor. aliisq; Patribus Orthodoxis fidem habemus , ac perpetuum Ecclesiarum omnium consensu æterna obseruatione,consentaneáq; cōsuetudine stabilitum & confirmatum volumus obtinere.

„ Illud verò, quod mox affingunt, luculentũ habet in Catho-
„ licos mẽdacium, ipſos dicere ſe viuis ac mortuis mereri remiſ-
„ ſionem peccatorum. Proferant docti iſti Confeſſioniſtarũ Pa-
„ troni, vnum ſcriptorẽ vel ſcholaſticũ vel neotericũ, vicerint.

Iſtam tamen blaſphemiam tam impudenter aduerſarij iactant, quaſi omnium Catholicorum conſenſu in Eccleſiis per orbem omnibus doceatur.

Sed proferunt ſui conuitij ſanè atrociſſimi temerè, immò falsò atq; mendaciter adeò in Catholicos proiecti teſtes profecto minimè leues, poſtquam Thraſonicè aſſeueraſſent, Hæc
„ notoria ſunt, inquientes, & adeò manifeſta, vt minimè neceſſa-
„ rium videatur in eo probando quicquam elaborare. Scilicet, quod nos conſtanter negamus, & pernegamus, immo damnamus, iſti belli homines fortiter affirmant nos docere. Tamen cum eos ſuæ ſuppuderet tam effrõtis affirmationis, tandem aliquot ſui in Catholicos iactati conuitij proferunt teſtes. Sed quoſnam obſecro? audies: ſed riſum fac teneas, lector candidè. Parturiunt enim montes.

„ Qui volent, inquiũt lepidi Apologetici, folio 117. & quibus
„ ea, quæ dicimus vlla ex parte dubia ſunt, legant Enchiridion
„ Eccij loco Com. 36. Iohan. Gropperum de cœna Domini, arti-
„ culo princip. 2. Itẽ Guilhelmum Lindanum libr. 4. Panopliæ
„ Euangel. cap. 24. quibus locis hæc diſputatio prolixè tracta-
„ ta eſt.

Certè prolixè admodum atque perſpicuè his aſſignatis locis hæc diſputatio Catholicis illis viris eſt tractata; ſed relegite, ô Confeſſioniſtæ tam Theologi quàm Conſiliarij Politici, relegite, obſecro vos, loca Eccij, Gropperi, aut Lindani, hic à vobis tam inſigni cum mendacio citata: & veſtris dominis Rom. Imperij ordinibus ex fide referte, an vllus ipſorum doceat, Sacerdotes tremendum illud vel Angelis ſacrificium offerentes viuis & mortuis mereri peccatorum remiſſionem.

Conſtanter quidem illi vobis hic commemorati Scriptores Catholici Orthodoxorum Patrum doctrinæ concorditer atque Catholicis omnibus conſentaneè docent ſalutarem pret.j noſtri in altari oblationem, ſiue Dominici corporis in diuina liturgia ſacrificium prodeſſe viuis & mortuis: ſed Sacerdotes

tes mereri eis peccatorum remissionem, minimè docet. Commemorantur enim viuorum & mortuorum nomina suo loco ad altare, idq; ex Apostolorum traditione, si fidem merentur Chrysost. Augustinus, Basil. Damascenus, Athanasius & alij, quando cruenti illius sacrificij in cruce olim peracti fit commemoratio, atque in illius memoriam oblatio: sed non ista commemoratio tanti est apud Deum momenti, vt suo ex genere, sine opere operato viuis aut mortuis peccatorum mereatur remissionem. Ista enim quantulacunque propitiatio, & qualis qualis expiatio vni illi debetur sacrificio, quo Christus in æternum sacerdos secundum ordinem Melchisedech seipsum offerens semel consummauit omnes qui sanctificantur.

Non tamen negandum est tremendum hoc altaris sacrificium, salutaremq; pretij nostri, vt cum Augustino loquamur, oblationem quibusdam Deum reconciliare, propitiumq; reddere, vt misericordius, eodem teste, cum mortuis agat, quam erat alioqui acturus: sed hęc gratia vni Christo debetur; nō homini, non sacerdoti. vnde nec sacerdos dicendus est illis peccatorum remissionem mereri.

In Confess. li. 9. cap. 12. Enchiri. ca. 110. Serm. 32. de verbis Apostol.

Porrò quod missæ sacrificium verè sit propitiatoriū, Deumq; iratum hominibus aliquo modo reddat propitium, placet, aut reconciliet (id enim Sacramentorum baptismi, aut penitentię proprium est) disertè ex D. Augustini, Cyrilli, Athanasij, & aliorum PP. Orthodoxorum verbis à nobis dudum recitatis est solis luce illustrius: potissimum D. August. Ser. 32. de verbis Apostolo. Enchi. cap. 110. Athan. ser. pro defunctis, Chrysost. homil. 3. in epistolam ad Philippen. & Cyrillo Ierosolymitano.

Missam esse sacrificium propitiatorium.

Vide Panopliā lib. 4.

Quæ Patrum Orthodoxorum testimonia, si religiosi Confessionistarum Theologi suis collegis Consiliariis Politicis, ipsisque adeò Romani Imperij ordinibus bona exhiberent fide, nihil equidem dubito quin omnibus lætissimi gratularemur, quod ante hoc fere decennium cuidam non ignobili per Sweuiam Pastori vsuuenisse gaudemus. Accesserat nos Tylingæ Sueuorum S. literas in locum Reuerendiss. D. Petri à Soto profitentes, Pastor N. partium Protestantium, ditionis Vlmen. de aliquot controuersis fidei capitibus familiariter ac sine arbitris nobiscū collaturus. explorato eius animo,

Facilé fore hoc in dogmate cōcordiā, si Theologi Confessionistarum bona fide suis dominis veram PP. Orthodoxorū exponerent doctrinā, quæ Catholicis est verè consentanea.

Ab exemplo nostræ memoriæ per Svveuiam.

veri ſtudio ipſum teneri,non contentionis cauſſa de primariis controuerſiarum capitibus quærere, atque rem ipſam tanto cum labore citra pudorem inueſtigare; ſubductum è publico in muſæum rogo,an ſi quod Catholici hactenus conſtanter de miſſæ ſacrificio, (quod in primis ipſum ægrè habebat) docemus,apud D. Auguſtinum diſertis verbis demonſtraro extare, ſuiſne ipſe oculis fidem ſit habiturus? Pollicetur ſe tanto viro tam Orthodoxo, tam eximio Catholicæ fidei magiſtro citra omnem cunctationem in poſterum indubiam habiturum fidem.ſtipulatione facta,reuoluo D. Auguſtini codices, demonſtratoq; illo Enchiridij ca.110.& quarta ad Dulcitium quęſtione,vbi ait,altaris ſacrificiũ eſſe mortuis quibuſdam gratiarum actionem,quibuſdam pro peccatis propitiationem; ecquid tibi,inquam,mi frater,nunc videtur? an non tanti viri doctrinæ concorditer docemus Catholici miſſam prodeſſe viuis & mortuis? Sanè,ait ille gratulabundus,neſciui tam apertã hanc Catholicorum apud Orthodoxos PP.extare doctrinam. vnde in poſterum meam ſalutem meis hactenus magiſtris nõ amplius credam: cùm videam tam inſigni me falſum atque prorſus ludificatum fuiſſe errore.Deo igitur gratias vbi egiſſemus,illi ſanam gratulati hac in parte mentẽ,rogauimus,vt totus ad Catholicam reuerſus Eccleſiam vnum idemq; nobiſcum, & in reliquis ſentiret,vno ore Deum laudaret,ſolicitus ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.

Quod ſe pro virili facturũ reſpondens data cũ oſculo (quod fuit omnium ſuauiſſimum) acceptaq; dextra digrediebatur. Huius ad exemplum nihil equidem ambigo plurimos ordinũ Imperij Ro.ad Romanam,quæ & Catholica eſt,redituros Eccleſiam,ſi bona fide noui iſti Theologi αὐτοδίδακτοι,ac ſe tãtum magiſtris edocti eis veterum Patrum doctrinam verè exponerent, fideliterque recitarent.

Sed quod dudum demonſtrauimus,bellos iſtos Confeſſioniſtarum Theologos in ſuperſtites Catholicos cõfingere,idem & in Patrum Orthodoxorum ſcripta moliuntur,vt aliud illos docere ſuis ſceleratè perſuadeant,quã verè ſentiũt aut docent.

Quod planè fiat liquidiſſimũ in hac vna controuerſiarũ omnium quæſtione ferè maxima de S.Euchariſtia: quæ tam manifeſtis

nifestis nititur Vet. PP. testimoniis Catholicæ doctrinæ consentaneis,vt nihil magis.

Ista igitur tam luculenta Orthodoxorum PP.testimonia ab Eccio,Lindano,Groppero pro missæ sacrificio, transubstantiatiõe,& Christi Domini in S.Eucharistia adoratione locis à Cõfessionistis dudũ allegatis adducta maluerunt silentio dissimulare,quàm verbum vnum ad ea respondere, sibi probè conscij suam nouam doctrinam illorum præiudicio damnatam,veréque totam iacere iam pridẽ iugulatam. Quod ne cui dubium esse queat,age vltimum iam doctrinę errorem,quem Confessionistæ fingunt Catholicos de S.Eucharistia contra S. Scripturæ veritatem atq; perpetuum Orthodoxorum PP.consensum in Ecclesias inuexisse,demonstremus sic semper in Ecclesia & fieri debuisse,& factum esse. Christum igitur concorditer credimus in S.Eucharistia quidẽ præsentem , Catholici verò docemus Christum in Eucharistia venerandum,colendum, omnique diuina reuerẽtia,cultu,honore adorandum : At Cõfessionistæ præsentem quoque Christũ in Eucharistia agnoscunt, sed adorandum in Eucharistia negant.Sed quánam istud pietate faciant aut veriùs impietate nõ faciant, si libet,audiamus. Si Deum profiteris pręsentem,quidni adoras?quia,inquiat,ibi non est,vt adoretur.Atqui Deus est Christus:vbicũque igitur est,adorandus est. Quod si adorare Christum vel in præsepio cũ tribus Magis,vel cum Apostolis in nauicula,vel cum matre filiorum Zebedæi in terra dubitas,diuinum ei honorem abrogas,diuinitatem eius in dubium vocas,diuinam eius naturam re ipsa negas.Ecquid enim ad rem facit,quod fingitis, eum in S.Eucharistia esse non vt adoretur?an in terra miser,non modò inops,sed etiã egenus,& calamitosus ambulauit vt adoraretur?an in præsepio vilissimo iacebat vt diuino honore coleretur?an in nauicula super ceruical omnium planè rerum indigus dormiebat, vt Dei cultu afficeretur, qui ministrare venerat,non ministrari? Sed inuidam istam maligni æmuliq; Cacodęmonis machinam,qua Christo ex communi tam Cõfessionistarum,quam Catholicorum consensu in S.Eucharistia pręsentissimo suum auferre molitur honorem diuinum (vt eo sublato Christum postea cum aliis fanaticis Euangelicis neget

Loca Patrum à Scriptoribus Gatholicis per Cõfessionistarũ Patronos reprehẽsis recitata dissimulant , ac ne gry quidem ad illa:sed fortiter surda transeunt aure,vt doloma lo verũ suos cęlent atque sacrilegè suppilent.

Adoratio Christi D.in Eucharistia non est cõtra Scripturas & perpetuum PP. cõsensum à Catholicis inuecta.

Ecquid spectet sathanas Cōfessionistis persuadens Christū in S. Eucharistia præsentē professis non adorandum.

præsentem, omnique paulatim spoliet atque exuat cultu diuino) semel euersuri ostendamus hanc doctrinam de Christi in S. Eucharistia præsentis adoratiōe semper fuisse Catholicis indubitatam, vsuq; Ecclesiarum omnium Christi, quacūque latissimè patet orbis Christianus, probatissimam.

Vniuersum orbem Christianū semper Christū adorasse in missa.

Ex Oriente Ec. Ierosolimitana, ex liturgia D. Iacobi.

Quid in Ecclesia Ierosolimitana Apostoli faciendum tradirint, aurea illa D. Iacobi liturgia ab Apostolis, vti dudū demonstrauimus, illic instituta præclarè testatum facit. Sacerdos oblationem siue victimam, id est, S. Eucharistiam attollens apud se orat, Sancte Domine sanctifica nos verbo gratiæ tuę, & per aduentū Sanctissimi spiritus. Rursus ante communionē, "Domine Deus noster Panis cælestis, vita vniuersi, peccaui in cælum "& coram te, dignum me fac tua gratia, vt citra condemnatio"nem particeps fiam S. corporis tui, & S. Sāguinis tui in remis"sionem peccatorum, & vitam æternam. Item loco eius, vbi La"tini S. Eucharistiam adorātes oramus, Agnus Dei, miserere nobis, illic populus orat, Domine miserere.

D. Cyrillus Ierosolimitanus.

Ex hoc Apostolico ritu D. Cyrillus Ierosol. an. 300. suum po"pulum instituit, hortans vt post cōmunionem corporis Christi "accedat ad calicem Sanguinis illius: non extēdens manus (in"quit in Catechesi mystag. v.) ἀλλὰ κύπτων καὶ τρόπῳ προσκυνήσεως καὶ σεβάσματος, sed procumbēs, incuruatoq; corpore adorationis in modū & venerationis, dicēs Amen: nimirū ad imprecationē diaconi sacrū donum impartiētis, qui de more orabat, vt perceptio sacrorum mysteriorum Christi valeat nobis ad amolienda omnia mala, in viaticum æternæ vitæ, in cōmunicationē ac donū Spiritus Sancti: tunc populus dicit Amen.

Eusebius Emissenus.

Clarissimum orbis lumen D. Eusebius Emissenus suos instituens de Paschate quo modo sit celebrandum: Tu cum ad reuerendum altare, inquit homil. 5. salutari cibo potuq; reficiendus accedis, Sacrum Dei tui corpus & Sāguinem fide respice, honore mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & maximè haustu interiore assume.

Ec. Antiochena. D. Chrysosto.

Porrò quid Antiochena Ecclesia & crediderit, & fecerit, ille aureo eloquentiæ fonte manās Chrysost. disertè cōtestatur, qui vbi docuisset idē corpus in altari esse, quod in præsepi reueriti sunt siue coluerunt Magi, viriq; impij & Barbari timore &

tremore plurimo adorauerũt, hortatur vt & nos eorum exem plo idẽ corpus in S. Euchariſtia præſens adoremus. Imitemur „ igitur (inquit homil. 24. 1. Cor. 10.) ſaltem Barbaros, nos qui cæ „ lorum ciues ſumus. Deinde, Excitemur & horreſcamus, & ma „ iorem, quàm Barbari illi, præ nobis feramus pietatem.

Hunc autẽ adorationis ac diuini cultus honorẽ fuiſſe Chriſto in S. Euchariſtia exiſtenti exhibitum per Eccleſias Græcanicas, teſtatur & D. Gregor. Nazianzen. epitaphio ſuæ ſororis Gorgoniæ.

Nazianzen. Quod in altari colitur.

Theodoretus ſuæ quoq; Eccleſię Cyren. ritum teſtatur dialogo 2. Intelliguntur autem (inquit de S. Euchariſtia loquens iam conſecrata) quæ facta ſunt, & creduntur & adorantur, tanquam ea exiſtentia quæ creduntur.

Theodoret. Adorantur illa in S. Euchariſtia quæ creduntur.

Deinde vt nihil dubitandum ſit de totius Eccleſiæ Orientalis ritu, in hunc vſque diem Sacerdos Græcanicus poſt conſecrationem de more S. Euchariſtiæ myſterium de altari ſubmotis ſipariis cortináque reuulſa ſublime elatum oſtendit legitimo honore piis Dei cultoribus adorandum, quo de ritu mox dicendum erit copioſius.

Ex Ritu Ec. Græcanicæ.

Iam & Aphricanas Eccleſias Chriſtum in S. Euchariſtia prę ſentem adoraſſe, vnus D. Auguſtinus abundè confirmarit, qui illud Pſal. 98. adorate ſcabellum pedum eius exponens, Quæro (inquit) quid ſit ſcabellum pedum eius. & dicit mihi ſcriptura: Terra ſcabellum pedum meorum. fluctuans conuerto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hic, & inuenio, quomodo ſine impietate adoretur terra? Suſcepit enim terram de terra, quia caro eius de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit: & quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit. Nemo autem illam carnẽ manducat, niſi prius adorauerit.

Ex meridie teſtimonia de adorato in S. Euchariſtia Do. Chriſto.

D. Auguſt.

Hanc carnis Chriſti per ſcabellum à Propheta ſignificatæ adorationem D. Auguſtinus ſuo à magiſtro illuſtri Eccleſiæ columine D. Ambroſio didicit, qui illud ipſum Prophetæ oraculum de adorando ſcabello ad Dominicæ incarnationis ſacramentum ſpectare docet. Videamus tamen (inquit lib. 3. ca. 12. de Spiritu S.) ne terram illam dicat adorandã Propheta, quam Dominus Ieſus in carnis aſſumptione ſuſcepit.

Ex Occidentali Eccleſia teſtimonia de Chriſto in S. Euchariſtia piè adorato.

Itaque

Itaque per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi: quam hodieque in myſteriis adoramus, quam & Apoſtoli in Domino Ieſu adorarunt.

Chriſtus adoratur in S. Eucharistia, etiam extra myſteriorum ſolemnia.

Neque verò in myſteriis tantum olim fuiſſe adoratũ Chriſtum idem Ambroſ. orat. funebri in fra. Satyrũ teſtatur. Is cum naufragij periculo perculſus S. Euchariſtiæ portiunculã à Chriſtianis vectoribus poſceret Catechumenus, qua iſtud fide, qua religione fecerit, perſpicua oratione exponit. Vnde rectè Satyrus vt ſuæ fidei (ait Ambroſius) conſequeretur auxilium, cœleſte illud myſteriũ ſibi ab initiatis popoſcit impartiri. qua verò pietate, diuiniq; auxilij confidentia Chriſto Deo digna illud cæleſte myſterium orario inuoluerit, colloque ſuo naufragus illigarit, hîc fuſiùs dicere non attinet.

Satyrus Catechumenus D. Ambroſij frater tempore naufragij orario illigat, & quo tunc potuit honore affecit ad fidei ſuę auxilium: quia nedũ edere licuit.

Certè qui cæleſtia illa tremendáque Chriſti Domini myſteria eo, quo par eſt, honore ac reuerentia meditatur ſerius, non poteſt in eorum illapſus theoriam non totus contremiſcere, ac horrore quodam religioſo cõcuſſus expalleſcere, atque in orationem prorſus extaticam ſtupore magis, quàm ſenſu plenam erumpere.

Hinc magnos illos Theologos Dion. Areopagitam, & Gregor Nazianzenũ videre eſt in huius myſterij Euchariſtici mentionem delatos præ animi ſtupore quodam ac vera ecſtaſi magis myſteria de myſteriis fundere, quàm humana verba de iis eloqui, *ἀλλ' ὦ πάσχα τὸ μέγα καὶ ἱερόν!* Sed ô magnum Paſcha & ſacroſanctum! exclamat Nazianzenus Chriſti myſteria contemplatus. Similiter & D. Dion. Areopagita, vbi S. Euchariſtiæ myſteria exponere aggreſſus dixiſſet ſe Do. Ieſu illuſtratore atque illuminante eius contemplationem, ſacramq; Theoriam declaraturum, hunc in modum orat: *ἀλλ' ὦ θεοτάτη καὶ ἱερὰ τελέτη, τὰ περικείμενά σοι συμβολικῶς ἀμφιέσματα τῶν αἰνιγμάτων ἀποκαλυψαμένη τηλαυγῶς ἡμῖν ἀναδείχθητι. καὶ τὰς νοερὰς ἡμῶν ὄψεις ἑνιαίου καὶ ἀπερικαλύπτον φωτὸς ἀποπλήρωσον.*

Nazianze. apud Pachimerem in Paraphraſi Dio. Areopag.

Dion. Areopagita Chriſtum in S. Euchariſtia adorat.

Quæ à variis interpretibus variè reddita, nos hunc in modũ conuertẽda nobis duximus: Sed ô tu diuiniſſimũ & ſacroſanctũ Euchariſtiæ ſacramentũ circunfuſis tibi ſimbolicωs ænigmatum ac myſteriorum velis detectum atque exutum perſpicuè nobis oſtenditor, & mentis noſtræ oculos ſingulari ſiue

illo

illo vnitiuo lumine ac quod velum nullum ferat aut integumentum adimpleto. Sic enim reddenda hæc D. Dionisij mysteria potius, quàm verba videbantur: quod hac apostrophe Christo Do. suo tremendo in Sacramento præsenti diuinum exhibuerit ad orationis honorē. Nam vti Georgius Pachymeres in Græca Paraphrasi nobis cōtestatur, ipsum mysterium S. Eucharistiæ quasi animatum alloquitur. quemadmodum & Nazianzenus Sacrum Pascha, ἀλλ᾽ ὦ πάσχα τὸ μέγα καὶ ἱερόν.

Siquidem nostrum est Pascha. Deinde subtexuit Pachymeres, καὶ ἡ τοιαύτη ἱερὰ τελετὴ, αὐτός ἐστιν ὁ κύριος ἡμῶν ἰησοῦς χριστὸς, πρὸς ὃν ποιεῖται τὸν λόγον ὁ ἅγιος, ἵνα ἀποκαλύψῃ ἀμφιέσματα, καὶ ἀποπληρώσῃ τοῦ ἑνιαίου φωτός. Hoc Sacramētum ipse Dominus noster Iesus Christus est, ad quem D. Dion. Areop. orationem facit, vt reuelet ac detegat inuolucra, & suo illo vniente lumine adimpleat.

Hunc quidem in modum veteres illi Christianæ relig. Patres, veraque columina Christum Do. nostrum fidei oculis in Sacrosancta Eucharistia presentem conspicati adorabant, diuinisque honoribus affecto supplicabant, vt adesset auxiliator, liberator, illuminator.

Proinde cùm exemplo Ecclesiarū Apostolicarum Ierosolimitanæ, Antiochenæ; Item Emissenæ, Athenien. & Orientalium, Africane, Mediolanen. & Occidētalium Christum in S. Eucharistia præsentem Dominum Deum nostrum piè adoremus, neque quisquam de eius carne salutariter manducat, nisi prius adorauerit, rectè cum D. Augustino hunc locum concludimus; inuenta est ratio, qua scabellum pedum Dei, id est, caro Christi de terra & Maria vtero assumpta adoretur, & quòd non solum non peccemus eam adorando, sed peccemus non adorando. Viderint ergo Euangelici, quo ore sacra illa vel Angelis horrenda audeant blasphemi contingere mysteria, qua conscientia suscipere, qui Dominum suum, suo honore non verentur spoliare?

Cauendū Christiano ait August. ne peccet non adorando carnem Christi de Maria assūptam in S. Eucharistia presentem.

Verùm hac de controuersia omnium opinione conueniat faciliùs, modò æqui rebus hisce maximis decidendis contingant arbitri. Nam Confessionistarum pars sanior aut omnino Catholicis assentitur, aut nullo dissidet rei ipsius discrimine; quan-

Consensus cum sanioribus Lutheranis de colenda S. Eucharistia.

quanquam verbis rixas moueant quidam argutuli.

Abdias Prætorius religiosè docet cœnam celebrandā, idq; externa erga Eucharistiā reuerentia.

Siquidem Abdias Prætorius VVittenbergeñ. Theologus libello de discrimine sententiarū de cœna Domini testatur Lutheranos docere, Totá administrationé cœnæ (inquit fol. 14.) debere fieri piè & religiosè, idque consentire, cuius exemplo
„ Christi cœnam instituétis, & Pauli admonitionibus, 1. Cor. 11.
„ Rursus pag. seq. Lutherani requirunt (inquit nu. 11. vbi tractat discrimen cum Sacramentariis quo ad reuerentiam sumentium Eucharistiam) à sumentibus disciplinam quandam externam, & reuerentiá ergo Sacramentum, & præstant eádem mediocri ratione.

Lutherani requirunt reuerētiam erga Sacramentum, eáque præstant.

Ita quidem Prætorius delibat tenuiter admodum, ne dicam inuidenter, reuerentiam, quam Domino suo Christo in cœna præsenti exhibent Lutherani.

Lib. contra Heshusium.

Ritus pij Lutheranorum circa Sacramentū Eucharistię.

Pange lingua canitur Latinè.

Cerei accenduntur.

Genu flexi colunt super panno serico strato.

Sed quam id faciat candidè, aliàs videbitur. Nunc suffecerit ex Clebitio commemorare pias illas religiosásque actiones, quas in cœnæ administratione piè & religiosè exhibenda Lutherani adhibent. Magdeburgen. Ecclesia Pange lingua canit, vbi Heshusius fuit constitutus hyperepiscopus: hic candelas Sacrámento accensas alicubi approbauit, sicuti & Heidelbergæ Latinas cantilenas voluit cantari. Quid, quod N. Protonotario decumbenti cùm Synaxim porrigeret, in terram procidit genu flectens, postquam sericum pannum substerni voluisset? Ita passim in celebratione Synaxeos accendunt candelas, sericum sternunt tapetum, & genua flectunt.

Talia igitur cum piè, ac religiosè atque cum reuerentia erga Sacramentum exhibeant Lutherani, quod fatetur Prætorius, an non adorationis cultum Sacro Do. corpori exhibent?

Adorāt verè Lutherani, dum canūt, Agnus Dei miserere nobis, &, dona nobis pacem.

Sed ne vllus restet scrupulus, fatetur Valentinus Vannius abbas (si Christo placet) Mulb. rectè ac legitimè decantari Agnus Dei, lib. de iudicio missæ. Quod cùm quis orat vt misereatur nostri, atque pacem donet, an non diuino cultu Christum in Eucharistia præsentem adorat? An non igitur Lutherani Dominum Christum re vera in Sacramento existentem nobiscum concorditer adorant?

Certè ipsa res tam est manifesta (quáquam tenebriones aliquot suos fumos offundere luci clarissimæ non pudet) vt Ioachimus

chimus VVestphalus disertis verbis profiteatur, Lutheranos Christũ in S. Eucharistia adorare. Sed satius fuerit paucula eius verba hic recensere. Pressus igitur Iohan. à Lasco argumentis, atque ab eo accusatus de Idololatriæ crimine, quod cum Lutheranis panem adorat; distinctiuncula quadam frigida conatur elabi. Nos verò (inquit VVestphalus altera defensione contra insignia mendacia Iohan. à Lasco, fol. g. 2. v.) non idolũ aliquod colimus, non panem adoramus, dum peragimus sacram cænam, & sanctissima carne & sang. nostri redẽptoris nos pasci credimus: sed adoramus Christum Iesum Do. & Deum nostrum secundum verbum & promissionem præsentem. Idololatria Deo fraudem facit, honores illi suos denegat, & confert aliis. fraudi etiam contumeliam iungit.

Ioachi. VVestphalus fatetur Lutheranos Christum in S. Eucharistia adorare, vt Dei filium, idque ex verbo Dei, adeó que Christi mã dato.

Quid horũ facere nos falsus accusator potest probare? Num Deo facimus fraudẽ? Nũ illi denegamus suos honores, & conferimus idolis? Num fraudi iungimus contumeliam, eò quòd credimus, quod filius vnigenitus Dei credẽdũ verbis suis præscripsit? & agimus quod ille iussit? En tibi, Lector candide, ore Lutherani Superintendentis professum, idq́; verbo Dei, adeoq́ue Christi mãdato confirmatum, Lutheranos Do. Christum in sacra cœna præsentem adorare.

Lutherani adorantes Christũ in Eucharistia agũt quod Christus iussit.

Iam ne quid hac de re cuiquam resideat scrupuli, Bucerum audiamus, quam planè nihil supersit discordiæ cum Protestantibus. De adoratione Christi in Eucharistia (inquit fol. 173. de Actis Colloquij Ratisponę) probè conuenit.

Bucerus fatetur conuenisse Ratisponæ de adoratione Christi in S. Eucharistia

Neque id sanè mirandum cuiquam videbitur, qui secum reputet, Lutherum ipsum in finem vsque suæ vitæ Sacram Eucharistiam summa in veneratione habuisse.

Lutherus anno 45. docet disertis verbis, Sacramẽtum altaris omni honore adorandum. Tomo 8. edit. Ienen. fol. 417. & Wittenbergen. Tom. 12. fol. 340. a.

Nam anno 45. aduersus Louan. articulos scribens, ita docet articulo XV. In venerabili Sacramento altaris ait (**das man mit allen ehren anbeten sol**) quod omni cum honore adorandum est, datur & accipitur verum & naturale corpus & sanguis Domini Iesu Christi.

Quare & hunc articulũ inter reconciliatos accensum fuisse à Mart. Bucero non est cur quis admiretur. Perspectã enim habuit Saxonici Euãgelistæ doctrinam, quam & Ioach. West-

phalus ſuperintendens glorioſiſſimus ac Lutheranę Ec. columen diſerta expoſuit oratione, Lutheranos Chriſtum Do. & Deum ſecundum eius verbum & mandatum in S.Euchariſtia adorare.

CAP. XIX.

Circũgeſtatio S. Euchariſti.

Calumnia mendaciſſ. quod panẽ adoramus: cũ ipſi nos oppugnent de panis cõuerſione, quam profitemur.

Cæterùm ex præclaris illis Orthodoxorum PP. teſtimoniis cum ſit perſpicuũ idem hodie Catholicos & ſentire & docere de Chriſto in S.Euchariſtia adorando, nullius erit momenti & illam diluere calumniam, quam Catholicis intẽtant anonymi Confeſſioniſtarum Patroni, quod S.Euchariſtiam prophanant pro ſpectaculo panem circumferẽtes adorandum. Quod enim aiunt, nos panẽ pro ſpectaculo circungeſtare adorandũ, dignũ eſt mendaciorum patre, eiuſque filiis mendacium: dudũ enim demonſtrauimus, non eſſe in S.Euchariſtia panẽ, ſed Chriſtum Dominum & Deum noſtrum: in cuius Sacroſanctum corpus panis ille myſteriis deuotus diuina verbi Dei virtute atque Spiritusſancti operatione eſt conuerſus. Si enim panem proponimus, aut circumuehimus adorandum, iam ſopita fuerit grauiſſima illa inter nos de tranſubſtantiatione controuerſia, quę non poſtremum habet inter capita religionis nondum reconciliata locum.

Quod autem ad circumgeſtationem attinet, non ea fit, vti aduerſarij fingunt, pro ſpectaculo: ſed ad piam Chriſtianorum erga Dominum ſuum redemptorem Chriſtum deuotionem, verumq; religionis diuinæ cultum in ſpectatorum, immo ſubſequentium Dei ſeruorum animis ardentiùs excitandum.

Vſus & finis pię ac religioſæ apud Catholicos S. Euchariſtiæ circũgeſtationis.

Cùm enim Chriſtum ibi præſentem credant, atque piè, religioſè, immo neceſſariò ex vera fidei ratione, ac perpetua PP. Orthodoxorũ doctrina perſuaſum habeãt adorandũ: quinam, obſecro te Chriſtiane frater, fieri poſſit, vt fides, quæ illic Chriſtum ſuum Dominum (ſi quæ modò eſt) re vera videt præſentem; & quæ illum Patri credit quidem aſſidentem, ſed præ nimio noſtri amore hic indubiè agnoſcit corporaliter in Sacramento exiſtentem, non maiori capiatur, accendatur, inflãmetur exorandi Patrem fiducia? Siquidẽ alium mediatorẽ agnoſcimus nullum, alium interpellatorẽ recipimus nullũ, alium interceſſorẽ admittimus nullum, qui ſuo iure, ſua iuſtitia, ſuo meritò, Patrem nobis aut iratum aut offenſum reconciliet,

placet,

placet,exoret? Quid igitur referat,an Christum adoremus ex altari monstratum, an ad ęgrotos solemni more delatum? an publica processione gestatum?an tanti obsecro intersit,iaceatne Dominus tuus,an sedeat?stet potius,an gestetur?Hęc enim corporalia Christianæ pietatis obsequia Christi Domini dignitati non derogant: sed mysticis aptantur seruitura fidelium vsibus, quibus & se olim dedit natum,nunc & dare in S. Eucharistia dignatur glorificatũ. Vnde & haud leuiter in Deũ Opt. ex indubitatissima ad nostri auxilium ipsius præsentia piis augescit,exardescit,ac veluti adolescit fiducia facilius impetrandi à Deo Patre,quod supplici ambimus prece filij potissimum illius ex mortuis primogeniti fratris nostri intercessione freti: cum Dauide orantes,vt respiciat in faciem Christi filij sui Domini nostri mediatoris nostri,aduocati nostri;qui præter orãdi fiduciam nobis inspiratam etiam nos ad Patrem exorandum introducit.

Quantoperè orandi fiduciam augeat S. Eucharistia religiosè, piaque fide circumgestata.

Si reus quispiam intercedente apud Augustum patrem Augustali filio multò maiorem sibi impetrandæ veniæ pollicetur spem,quam si pro ipso viri interpellent illustres, comites, duces;ecquid obsecro Christianis sperandum de immensa Patris nostri clementia,cui vna cum supplici suo grege non supplex petit,sed suo iure interpellat,adeoque postulat veniam Pastor Christus filius?Si quidem ideò cælum & prior ingressus, vt appareat vultui Dei pro nobis,vt interpellet,vt postulet,si D.Paulus Dei spiritu afflatus meretur fidem.

Vnde piis adolescat & augescat exorandi cælestis patris fiducia.

Hebræo.9.

Hæc porrò solemnis Christi Domini in Ecclesiastica processione gestatio non ad inanem fit pompam, sed ad religiosam pietatem,non ad vanum oculorum spectaculum, sed ad piam animorum deuotionem, & ad ardentiorem orandi fiduciam excitandam in frigidioribus,aut minùs æquo religiosis pectoribus. dum enim Christum Dominũ nostrum vna nobiscum Patrem nostrũ postulare cogitamus, ardentiùs etiam nos oramus,confidentiùs postulamus,vehementius denique Patrem suis promissis vrgemus;quia in Christi nomine cõgregati oramus,quos diuino per os Christi filij promisso sese auditurum, immo proculdubiò exauditurum est pollicitus.

Quòd non fiat S. Eucharistiæ circumgestatio ad inanẽ pompam, aut otiosum spectaculum, vti semieuangelici calũniantur.

In processione solẽni vrgetur De⁹ Pater promisso suo nos exaudiẽdi: quia in nomine filij sui petimus: & cõgregati in eius nomine petimus.

Porrò hunc circumgestatæ S. Eucharistiæ ritum non esse

De origine piæ circumgestatio nis, vnde orta, & quid per eã Christo exhibeatur.

impium, nedum diuino cultui minus consentaneum, vel inde liqueat, quod ad veram germanamque pietatem Deo Opt. exhibendam nihil referat, an in platea adoretur, an in ara. Quid enim maiestatis Christi Domini interfit, an à Magis colatur & adoretur in publico diuersario: an ab Apostolis in priuato nauigiolo? an verò publicè in monte, toto spectante mundo?

Itáque Christiani homines, abominando diaboli iugo diu pressi, & tyrannorum gladiis perquam diu fatigati religionis suæ mysteria in dies pleniùs cognoscentes de augendo etiam publicè honore Do. Dei cogitarunt: qui olim domi velut con strictus atque persequutionum quasi frenis cohibitus, templisque conclusus iam pridem præstabatur.

Idẽ honor Christo nunc publicè exhibetur, qui iam pridem priuatim.

Nemo autem tam fuerit insulsi palati, qui affirmet publicè non licere, quod domi summa geratur religione. Iam de Apostolicarum Ecclesiarum more natum est, quod etiamnum in mysteriis videmus, Christum Dominum adorationis causa piorum cœtui ostentari atque demonstrari.

Eleuatio S. Eucharistiæ vt adoretur in mysteriis originẽ habet Apostolicã.

Si eleuatio S. Eucharistiæ legitima est, & pia, etiam circumgestatio: quia idẽ vtroque agitur: nimirũ vt Christus Do. adoretur.

Quod si legitimè, immo Apostolicè fieri doceamus, etiam legitimam esse, Deoq; dignam adorationem cõsequitur, quæ pia hac S. Eucharistiæ inter Christianos circũgestatione quæritur. Sed operæpretium fuerit paucis exponere, quidnam de S. Eucharistiæ in mysteriis eleuatione primitiua illa senserit Christianorum Ecclesia, D. Paulo Apostolo Athenis magistro vsa.

Testatur D. Macharius Ionicus Dionys. Areopagita libr. de Eccles. Hierarchia: (quem vna cum aliis esse illius Dion. Pauli discipuli fætum gnisium & germanum in Panoplia iá pridem euicimus) Ecclesiam Christianá mysticum panem peracta consecratione illis Apostolorum temporibus in sublime attollere, populóque demonstrare solitam. ait enim, καὶ τὰς ἱερὰς θεουργίας ὁ ἱεράρχης ὑμνήσας ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνούμενα διὰ τῶν προκειμένων συμβόλων, καὶ τὰ δωρεὰς τῶν θεουργιῶν ὑποδείξας, εἰς κοινωνίαν αὐτῶν ἱερὰν αὐτὸς τὲ ἔρχεται, καὶ τοὺς ἄλλους προτρέπεται. Quod ita reddi Latine posset:

Obserua geminam S. panis eleuationem, prior est illa sublimis mox à conse-

Vbi Pontifex sacrosancta Dei opera, inquit, laudibus celebrauit, illa diuinissima mysteria consecrat, & in conspectum agit, oculisque exhibet illa laudatissima, quæ sacris sunt symbolis

bolis proposita. Postquam verò hæc mystica diuinarum consecrationum dona submonstrans paululumque eleuans exhibuit, ad sacram ipsorum communionem & ipse accedit, & alios inuitat.

cratione: altera submissior ante threnū Agnus Dei, tunc enim dicebat Sacerdos, Sancta Sanctis!

Quod Sacerdos in conspectum profert, oculisque piorum auditorum subiicit diuina illa mysteria mox à consecratione, aliud sibi non vult, quàm vt ad reuerentiam Christo Domino exhibendam pium Christianorum cætum admoneat, quemadmodum hunc locum sua Paraphrasi illustrans Georgius Pachymeres subindicat. Cuius verba sic habent, καὶ ὑμνήσας ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνούμενα σαφηνίζων ὡς χριστοῦ εἰς τὰ σύμβολα, ὅτι μετὰ τὸ δεῖπνον λαβὼν ἄρτον καὶ τὰ ἑξῆς, ὑποδείκνυσι δὲ ἠγοῦν ἀνυψοῖ τότε ἀποκαλυπτομένων τῶν παναγίων δώρων μετὰ τὰς εὐχάς, μενόντων δὲ κεκαλυμμένων ἕως καιροῦ μεταλήψεως. Quod sic Latinè sonat:

Paraphrasis Pachymeræ ostendit quorsum eleuatio spectarit olim: nimirum ad Christi adorationem.

Postquam laudibus Deum celebrauit, consecrat illa diuinissima, & in aspectum adducit quæ laudauit: manifestè demonstrans hæc ipsa esse Christi symbola, quod post cænam accepit panem, & quæ seq. & quòd dixerit, Hoc facite in mei cõmemorationem. Quod enim ait Diony. ὑποδείκνυσι ἠγοῦς ἀνύψει, est in sublime attollit, siue eleuat tunc detecta sacratissima dona & sacramenta post preces, quæ manent tecta vsque ad communionis tempus.

In eundem locum & D. Maximus in scholiis καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει, τουτέστι, σαφηνίζει τὰ ὑμνούμενα οἷον ὅτι τόδε καὶ τόδε, χριστοῦ καὶ τόδε καὶ τόδε, χριστοῦ. ὑποδείκνυσι δὲ καὶ τὰς ἐπὶ τούτοις θείας δωρεάς. οἷον ὅτι εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον. καὶ ὅσα τοιαῦτα μυστικά. τάχα δὲ τὸ ὑπ' ὄψιν ἄγει τοῦτο σημαίνει ὡς τότε ἀποκαλυπτομένων τῶν ἁγίων δώρων μετὰ τὰς εὐχὰς, καὶ τὰ ἑξῆς. ἢ τάχα τὸν κουφισμὸν καὶ τὴν ὕψωσιν τῆς μιᾶς εὐλογίας τοῦ θείου ἄρτου φησὶν, ὃν ὑψοῖ ὁ ἱερεὺς λέγων, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, ὅπερ καὶ μᾶλλον ἐστὶν ἀληθές. Quod est:

Suffragatur & D. Maximus Dion. Areopagitæ scholiastes.

In aspectum profert, hoc est, manifestat siue ostentat quæ laudauit, veluti quod hoc & illud est Christi. Subindicat verò, dum ostendit quæ in his sunt diuina dona; veluti quod in remissionem peccatorum, & quod in vitam æternam, & alia eiusmodi mystica.

Fortas-

» Fortaſſis & illud τὸ ὑπ' ὄψιν, hoc ſignificat, quod deteguntur
» ſacra dona ſiue Sacramenta poſt preces, quæ alioqui manent
» velis cooperta vſque ad communionis horam, aut fortaſſis
τὸν κούφισμον λέγει, Eleuationem & exaltationẽ dicit vnius be-
nedictionis (ſiue alterius ſacramenti aut ſpeciei) puta ſacri pa-
» nis: quem ſubleuat Sacerdos dicens, Sancta Sanctis: quod ſanè
» eſt omnium veriſſimum, quemadmodum & ſub finem cap.
» expoſitum inuenies.

ὕψωσις τῆς μιᾶς εὐλογίας. Vnius ſpeciei eleuatio.

Ex quibus D. Maximi & Pachymeræ in aurea D. Macharij Dion. Areopagitæ verba commẽtariolis pio Lectori perſpicuũ eſt, myſticam illam Sacroſancti Sacramenti in ſublime eleuationẽ non ſolùm adorationis cauſa fieri: ſed geminatam etiam fuiſſe illo Apoſtolico ſeculo. Nam non tantum mox à diuina conſecratione olim oſtendebatur Sacroſanctum Do. Chriſti corpus; ſed etiam eueſtigio, poſt recitatam omnium Dei filiorum nomine orationem Dominicam. Hoc enim mihi videtur (ſaluo ſuo cuiq; iudicio) accurata illa D. Maximi interpretatio poſtulare: qua admonet de vnius Eulogiæ, quod eſt, Sacramenti ſiue ſpeciei panis exaltatione, quæ cur nam ſit in myſteriis repetita, talis fortaſſis non abſurdè reddatur cauſa.

Gemina eleuatio S. panis in myſteriis olim apud Græcos Apoſtolorũ diſcipulos. Sic & nũc per Syriã fit, vti liquet ex Syrorũ anaphora ſiue D. Baſilij miſſa per Andr. Maſium de Syriaco ad verbum doctiſſ. expreſſa.

Nulli dubiũ eſt, qui ſuæ modò profeſſionis Chriſtianæ fuerit memor, quæ in myſteriis tremendi ſacrificij iam pridẽ peraguntur, pia & graui admodum cauſa initio fuiſſe inſtituta. Id loquuntur diſertiùs pleraque omnia rituum, piarumque ceremoniarum genera, quàm vt ſit in præſentiarum nobis ea de re comprobanda laborandum accuratiùs.

Sacrorũ rituũ in ſacrificij Chriſtiani myſteriis quãta maieſtas.

Siquidem tanta in eis refulget vel aduerſariorum oculis teſtibus dignitas, tãta maieſtas, vt pleroſque omnes, pauculis admodum temerè reiectis, ſuo quaſi anticipato dogmati refragantibus, vna cum Chriſti Euangelio ſemilacero abripientes nouum impiè conſtruxerint altare contra altare.

Hinc iuſtiſſima ſanè eſt cauſa, quòd ad ſacroſancti Euangelij lectionem ſtetur: ſicuti ad preces publicas, quas collectas dicimus, omnium auditorum nomine fuſas humiliter procumbitur, ſiue geniculatur: potiſſ. eo tempore quod ieiuniis & peragendæ Euãgelicæ pœnitentiæ eſt deſtinatũ, quemadmodum & hodie videre per quadrageſimã, & ſtatos illos quaternorũ ieiunio-

Statio ad Euangelium.

Geniculatio ad collectas.

ieiuniorum dies,qui ſuo à refluxu nomen habent 4. tempora.

Quem pium ritum etiamnum diaconus auditores ſui monens officij,& voce,& geſtu ſiue geniculatione docet,dū proſtratus exclamat poſt Sacerdotis vocem, Orandum eſt, flectamus genua.

Rurſus ad conſecrationis præfationem admonétur auditores,vt corda ſurſum ; quod ætate Cypriani, vti & nunc paſſim, ſtantibus dicebatur. Tunc enim locum habuit (quod à D. Paulo equidem ortum, aut potius confirmatum crediderim) vt ſtantes orarent omnes, leuantes puras manus: quod Timotheum ſuum admonet eo loco, vbi teſtibus D. Auguſtin.& aliis PP.de tremendo Chriſtiani myſterij agit Sacrificio.

Statio ad Sacrificij præfationem. D.Cyprianus in orat. Dominic. Manus cur hodie leuet in ſublime Sacerdos. Leuare manus in oratione eſt D. Pauli traditio. 1.Timoth.4. Pſalm.62.

Leuatis igitur manibus cum Dauide Pſal.62.iuxta D.Pauli monita orabant in templo viri tēpore Chriſtiani ſacrificij: quod & D. Chryſoſt.in homiliis commemorat.vnde & Sacerdos(qui vti verbis præit ad orandum,ita piis quoque geſtibus) etiamnum extollit,eleuatque manus,dum pro Chriſtianis ad vnum omnibus cum præſentibus , tum abſentibus ſupplices fūndit Deo preces.

Cur Sacerdos man⁹ eleuet ad memento.

Exinde ſubmotis ſypariis cortináque reuulſa ad diuinā conſecrationem & oblationem omnibus in genua,vti par eſt,prouolutis, de more procūbitur,vſque dum oratio Dominica decantatur,ad quam auditores omnes ſolent aſſurgere, quòd ea ſit facilè princeps Euangelij noſtri portio : quare & eodem eſt honoris genere piis excipienda,qua dudum Sacram Euangelij audierunt lectionem. Is autem ſtandi ad orationem Dominicā ritus magna ſanè pietatis iactura (vt & alij plures vſu optimi, obſeruationeq; ſaluberrimi) paſtorū neglectu interiit : qui tamen per Hollandiam à Chriſtianiſmi exordio vſque perdurat. Ea verò Domini precatione finita,quia ad ſacroſanctā præparandi ſunt auditores myſteriorum communionem , denuò ſacratiſſ. panis publicè in altum extollitur (quod alij ante Domini etiam orationem obſeruant) vt eo conſpecto pertremendæ omnibus cæleſtis illius cibi manducationi aptentur ac pręparentur accuratiùs. Eueſtigio namque imprecata omnibus Domini pace,pius ille threnus ter geminus accinitur , Agnus Dei miſerere nobis : qui vt à geniculantibus meritò dicatur,

Statio ad orationem Dominicam.

efflagitat fidei anologia: de qua in præſens non eſt cur differamus prolixiùs.

Eleuatio cum adoratione coniūcta in Eccleſiis Orientalibus Syrorum, Græcorum & Æthiopum.

Certè apud Syros & Græcos in liturgia Diui Iacobi, Baſilij, & Chryſoſtomi Sacerdos, S. Euchariſtiam paululum eleuans exclamat, Sācta Sanctis! Similiter & in miſſa Aethiopum ſacerdos ante communionem Sacramentum eleuat, dicens: Do. Chriſte miſerere noſtri, ter repetitum: quod & populus adorando ingeminat, idque ex Apoſtolorum traditione, vti habet liturgia per Abbatem Petrum Aethiopem edita.

An non & in hodiernum vſque diem apud Græcos, qui Venetiis agunt ex more Orientalis Eccleſiæ poſt Cōſecrationem fit S. Euchariſtiæ ad populum oſtenſio & circumgeſtatio?

Græci etiānum S. Euchariſtiam Venetiis circūferunt ſua in Eccleſia ex more Orientalis Ecc.

Siquidem ſacerdos à cōſecratione circuit templi gremium, vna manu S. Calicem, altera eius coopertorium geſtans. Deinde ad ſanctuarium ſuum & aram ſacram reuerſus ante communionem iterum S. Euchariſtiam populo adorationis cauſa oſtendit, vti ex literis amicorum illic agentium dudum ingenti admodum gaudio cognouimus.

Porrò apud Syros defractam S. hoſtiæ particulam (vti Cl. V. D. Andræas Maſius ex literis ſui magiſtri Moyſis Antiocheni in Syrorum Anaphorā, ſiue D. Baſilij miſſam annotatū reliquit) demittit in S. Calicem: ac deinde patellam cum corpore Chriſti ſuſtollit, populóque veluti oſtendit. Interim diaconus alta voce clamans Catholica, populum excitat ad S. communionem.

Illud autem in præſens nihil refert an oſtenſio fiat nudæ Euchariſtiæ, vti apud Latinos & quoſdam Græcos: an opertæ & velatæ: an in patenula repoſitæ: vti apud Syros. Vtrobique enim vtriuſque oſtenſionis ſeu eleuationis idem eſt finis, pius vterque, & maiorum more laudatiſſimus.

Hæc autem eo commemorantur, vt piis lectoribus originum ſacrarum fontes aperiremus, certáque rituum piorum veſtigiola, licet tenuia apud maiores olim obſeruatorum pro virili indicaremus: quibus attentè conſideratis, perſpicuum euadat ritus omnes, qui ſacrificio peragendo adhibentur, iuſtiſſima ſimul & religioſiſſima de cauſſa fuiſſe & olim conſtitutos, & nulla nouandi temeritate abolendos. Hic enim

illud

illud Con. Niceni etiam locum habet, μὴ νεοτερίζειν, nihil innouandum.

Cæterùm quia tam manifestò nunc est Apostolica demonstrata illa in mysteriis pia Sacramenti eleuatio, testibus DD. Iacobo Apost. Dion. Areopagita, Chrysosto. & Basilio, quæ adorationem semper habuit pro fidei nostrę analogia coniunctam, facile inde colligas, Lector candide, quidnam de publica sacrosanctæ Eucharistiæ ostensione sit statuēdum. Neque enim impium fuerit publicè facere, quod domi, aut priuatim vera gestas cum pietate ac religione, quæ res legitimo aliquo impedimento constricta licet non fuerit olim aut in vulgus nota, aut publice vsitata, nihil inde oriatur piis posteris præiudicij. Extant nihilominus nonnulla historiarum veterum vestigia, proposito huic minimè aliena, quæ eo libentiùs depromemus, quod indubiam habent S. Eucharistiæ venerationem, etiam extra templum olim à piis demonstratam.

Ostensio publica siue circūgestatio S. Eucharistiæ nihil habet inter Christianos offendiculi aut impedimenti, cur abo-leatur meritò.

Ex D. Iustino enim & Irenæo, aliisque PP. ætate illa Apostolica florentibus demonstratu est facillimum, S. Euchari-stiàm fratribus è templo fuisse solemniter transmissam. An eam igitur inhonoratam, siue legitimo suo honore destitutam existimabimus transmissam? aut sine veneratione idonea exhibitam? an verò geniculantes cum cereis exceperint, an stantes adorarint; non est illorum Patrum verbis quidem explicatum: sed legitimo fuisse sanè cultu Christ. & delatam, & exceptam, illud satis superque indicat, quod per Diaconum D. Iustinus testatur fuisse transmissam absentibus, à sacro conuentu Dominica die celebrato fratribus. Vnde solis luce clariùs effulget, fuisse veteribus S. Eucharistiam ad quoddam saltem tempus non modò conseruatam, sed suo etiam modo, pro temporum ratione, legitimo cultu honoratam. Siquidem & ægrotis reponebatur iam in viaticum, quemadmodum Serapionis Alexandrini exemplo liquet; & Græca Ecclesia iam olim ἐκ τῶν προηγιασμένων, siue præsanctificatis sua certis hebdomadæ diebus atque Sabbatho peragebat mysteria; sicut & Occidens totus in S. Parasceue pro maiorum instituto perātiquo etiamnum constanter obseruat.

Vide Euseb. Cæsar. ex versione Ruffini libr. 5. cap. 23. Iusti. Apolog. 2.

Die Dominica mittitur S. Eucharistia fratribus à sacrificio absentibus per Episcopi Diaconum.

Reseruatio S. Eucharistiæ olim ad quoddā tempus non solum pro ægrotis, sed vt seruiat mysteriis.

Referuatio S. Eucharistiæ vt postridie, totaque hebdomada distribuatur, peregrinisq; aduentantibus impartiatur.

Ita & ex Satyri D. Ambrosij Germani exẽplo demonstratur, mysterium hoc fuisse olim in vsus peregrinorum & nauigantium conseruatum: vt ad manum esset, quod aduentantibus fratribus in concordiæ symbolũ impartiretur, vt testatur apud Eusebium D. Irenæus. De pia verò hac S. Eucharistiæ in vsus ægrotorum reseruatione adeò non fuerit difficile concordiam inter nos sarcire, vt primarij aliquot Wittenbergeñ. Theologi publica disputatione coacti fuerint profiteri, posse S. Eucharistiam ad triduum totum seruari. Scribit enim V. D. Iohan. Leisentricius Ec. Budissinensis Decanus, Casparem Creutzingerum, VVittenbergen. doctorem, & Frider. Myconium publica disputatione D. Melchiorem Rudelium Misnen. Ecc. Vicariũ Anno 39. die 20. Iunij inuadentes tandem rei veritate superatos in magna clariss. virorum corona palam confiteri coactos, Eucharistiam pro vsu infirmorum posse ad tres vsque dies reseruari. Si ad triduum, cur non, obsecro, & ad octiduum? Quod si liceat, cur non nobiscum concorditer, donec poscat vsus?

Concordia de reseruanda S. Eucharistia ad quoddam tempus facilè conciliet pacẽ de ostẽsione publica, siue de circũgestatione pia.

De hoc igitur conseruandæ S. Eucharistiæ more facilè conueniat cum Niceni Conc. Cano. 14. nitatur, aliisq; exemplis variis: sicuti & de pia circumgestatiõe. qui enim recogitat quem in finem fiat, quod dudum est declaratum, nõ poterit nõ probare, quicquid in Dei sui illic certò præsentis honorem agitur.

Quis enim tanta Cyclopica inueniatur, vel apud Saxones audacia, qui Apostolicos illos viros Catholicæ Dei Eccl. præsules irreligiositatis accuset, quod Romæ D. Polycarpo aliisq; peregrè aduentantibus S. Eucharistia fuerit de more solemniter transmissa? Rursus quis adeò momus reprehẽdat, quod D. Iustini illa ætate, quæ Apostolos vidit, absentibus à publico sacrificio fratribus Christianis per electiorem illum Episcopi diaconum fuerit destinata? An nihil honoris inde accessisse putes tremendo illi sacramento, quòd non per quemuis de plebe, ac ne de Clero quidem, sed per electiorem illum Episcopi ministrum diaconum fuerit delata fratribus?

Vide Euseb. à Ruffino versum lib. 5. cap. 23. ἔπεμπον quadã cum pompa destinarunt. Iustinus. Apolog. 2.

Certè honorem, & quandam veluti pompam vox illa D. Irenæi apud Eusebium sonat. Episcopis Romam peregrè aduẽtantibus ἔπεμπον S. Eucharistiam, non solum miserunt, vt vertit mus ille Noricus passim arrodens quod suo malè sapit insulso palo-

VVolfgã. Musculus arroditvorem. Ita mus Ponticus Tertulliano dictus Marciõ.

palato: sed vti Ruffinus, solemniter transmiserunt, ac sua quadam Ecclesiastica ornatum pompa peregrinis pacis ergo & cōcordiæ gratia in vnius fidei symbolum honorificè destinarunt.

> S. Eucharistia olim concordiæ ac fidei vnius symbolum peregrè Romã venientibus destinata & honorificè transmissa: prout ferebant illa tunc secula.

Siquidem Eusebij, aut potius D. Irenæi vox Latinis quandã sonat pompã, quæ ab illa Græca deriuata est, quæ & apud Platon. lib. 1. de Republ. simili est significatiõe, pro pompaticè deducere. Quanquam hæc non fuerit, qualis nunc temporis de more exhibetur, non tam magnifica, non tam publica, nõ tam augusta: fuerit tamen honorifica pro illorum temporum ratione oportet: quæ magis animi deuotione, quàm externis ritibus præstabatur propter seculi malitiã, Tyrannorumq; impotentiam siue Theomachorum inclementiam. Quare si tunc per Tyrannos S. P. Q. R. licuisset; quis obsecro damnaret, si diaconus Ro. accensa teda aut sublustri cereo suum Do. Christum Iesum honorasset? Quod enim in templo licebat, cur nõ & publicè? Si in ara, quidni precor & in platea?

> Qualisnã fuerit olim S. Eucharistiæ foras delatæ pompa.

> Cereorum vsus olim in mysteriis. Prud. in D. Lauren. & hym. Pasc.

Istud verò cùm & Lutherani suis in synagogis faciant, suãq; Eucharistiam passim accensis cereis honorent, cymbalis & cantu hymnorum Pãge lingua, & Discubuit IESVS, cohonestẽt, musica & organis & sericis exornent: ecquid vetat, obsecro, eadem publicè fieri dum ad ægrotos defertur?

> Cereos Lutherani S. Eucharistiç accendũt, tapetia prosternunt. Vide ordinat. Ecc. Brandeburgen. fol. 157. & Daniæ & Norinbergen.

Laudãdus in primis est ritus ille per Sweuiam celeberrimus quo ad ægros S. Eucharistia vnà cum cereis & puerorum lugubri caputio indutorum cãtu defertur. An hunc etiam honoris diuini cultũ lugubrem sanè à lugubribus & lugentibus ægrotorũ amicis exhibitum Christo Domino inuideant Euãgelici?

> Lutherani canũt Pange lingua Latinè.

> Ritus per Svveuiam solẽnis nõ inutiliter aliis æmulandus.

Quod si Hispanica illa pompa plusquam regia, plusquam augusta quibusdam videbitur improbanda (quod tamen summa fiat temeritate. quid enim illi cælorum Domino, Angelorum Regi Christo ab homunculis fiat nimium aut immoderatum?) an ista etiam Germanica siue Sw[illegible]ica? quæ simplicitatis amans magis quod tempori congruit sequitur; quàm quod summa Dei nostri prǽsentis maiestas postulat, exequitur. Hanc diuinam Christi Do. in S. Eucharistia præsentis maiestatem considerãs Hispanorum pietas & zelus ardens (qui illi genti propemodum est singularis, ac præ aliis ferè orbis totius nationibus eximius) non modò faculis & cereolis aliquot:

> Singularis Hispanorum pietas erga S. Eucharistiã ad ægrotos honorificentiss. deducendam.

 quot:

quot: sed totius collegij siue fraternitatis comitatu singulis cereis rubellis instructo S. Eucharistiam theca aurea fulgidam ad ægrotos destinatam deducit honorabunda.

Theusam vocãt quidã quod honorandis mysteriis nostris obtẽditur, vulgò pella: quæ à veteris capellæ, seu ædiculæ, cuius alicubi speciẽ refert, nomen inuenit.

Deinde & Sacerdos pupurea siue aurata illa tectus theusa, (quæ vulgò Pella à veteris Capellę seu ædiculæ forma nomen obtinet) veluti triumphali deducitur curru, vti regũ rege, omnium Domino, vniuersorum conditore ac seruatore dignum est. hæc qui fidei verè Christianę oculis secum reputarit, an Hispanicam illam pompam, quæ nisi ad diuinum honorẽ Christo Do. exhibendum, nisi ad pietatem spectatoribus excitandam, nisi ad ardẽtes pro ęgroto preces fundendas spectant, vlla cum ratione valeat improbare? Quin potiùs ad piã & nos excitabimur pro virili imitationem, quæ honorẽ Deo Opt. max. quantum poterit mortalium vilis humilitas exhibeat multò maximum. Sic enim & apud maiores nostros piæ in Christũ Deũ reuerẽtiæ increuit honor. Quod D. Iustinus sua ætate Apostolica dicit ἀποφέρουσι, deferunt absentibus S. Eucharistiã; hoc D. Irenęus magnificẽtius & quasi augustius ἔπεμπον peregrinis Romã venientibus S. Eucharistiam sua quadã solemni põpa deduxerunt. Atqui offenduntur Confessionistæ, inquiat aliquis, hac circũgestatione, Cur non similiter sua Eleuatione? Certè nisi Sathanica exagitati, aut fortassis excæcati laborarẽt in Christũ Do. inuidia, nõ possent piã hanc cum rationẽ damnare circũgestationẽ, qui apud suos Syneuãgelicos piã S. Eucharistiæ laudãt eleuationẽ. Consideremus, quæso te Lector Christiane, vtriusque rei scopũ, agnosces perspicuè nihil interesse diuini honoris an Christo Do. nostro eũ exhibeas eleuato, an gestato. An non sinu Virginis puerperæ Mariæ gestatum siue reclinatum Magi illi Reges adorarunt? Et quidẽ magnoperè mirandũ est, posse in Christianorũ pectora hasce perrepere cogitationes, vanasq; disputationes, quibusnã modis diuinus honor sit Christo Deo exhibendus? D. Ambrosius S. Helenã à pietatis studio mirificè laudat, immortalibusq; encomiis prædicat, quæ S. Crucẽ Do. & Clauos crucis legitimis coluerit honoribus. nã filio Constantino A. misit diadema, inquit orat. de obitu Theodosij Impera. gẽmis insignitũ, quas preciosior ferro innexas crucis redẽptionis diuinæ gẽma cõnecteret. misit & frenũ. vtroq; vsus est Cõstantinus

Vt paulatim increuerit S. Eucharistię honor apud Christianos.

Magos Reges facit Nazianzen. & Prudent.

Crux Christi in vertice augustorum eleuatur & honoratur,

ſtātinus,& fidē trāſmiſit ad poſteros reges. Principiū itaq; credentiū Imperat.ſanctū eſt,quod ſupęr frenum. Ex illo fides vt perſequutio ceſſaret,deuotio ſuccederet.Sapiens Helena,quæ crucē in capite regū leuauit, vt crux Chriſti in regibus adoretur. Nō inſolētia iſta,ſed pietas eſt, cū defertur ſacræ redēptioni. Bonus itaq; Clauus Romani Imperij,qui totū regit orbē,ac veſtit Principū frontē,vt ſint prædicatores, qui perſequutores eſſe conſueuerunt. Rectè in capite clauus, vt vbi ſenſus eſt,ibi præſidium. In vertice corona,in manibus habena. Corona de cruce, vt fides luceat: habena quoque de cruce,vt poreſtas regat. Deinde per Iudęorū Mimeſin expreſſit D. Ambro.quidnā honoris & clauo & cruci Dominicæ olim fuerit ſalutariter à Chriſtianis exhibitū. Nos crucifiximus,inquiūt,quē reges adorant. Ecce & clauus in honore eſt,& quē ad mortem impreſſimus,remediū ſalutis eſt,atq; inuiſibili quadā poteſtate dæmones torquet. Rurſus poſt paucula: Ferro pedum eius reges inclinantur. Reges adorant, & Fotiniani diuinitatem eius negant? Clauum crucis eius diademati ſuo præferunt Imperatores, & Arriani poteſtatem eius imminuunt?

Pietas eſt clauū & crucem Domini honorare.

Clauus Chriſti in honore eſt & remedium ſalutis, ac demones torquet.

Audis ore D. Ambroſij, Lector Chriſtiane,quanto in honore piis olim Chriſtianis fuerit & crux Domini,& clauus crucis. Si laudandam D. Helenam arbitratus eſt D. Ambroſius, quod cruce Do.leuauit in capite Regū,vt crux Chriſti in regibus adoretur: ecquid dicturū putas,ſi Chriſtianos audiat de honoris modo tā acriter contendentes,qui concordi ſentētia ſentiunt, firmiterq; credunt,Deū Chriſtum in S. Euchariſtia pręſentem?

Si non fuit ſuperſtitio,nedum impietas,Clauum crucis Dominicę regio intexere diademati: ecquur obſecro audimus impij,aut ſuperſtitioſi,quod Corpus Domini noſtri auro inſertū populis oſtenditur adorandum? Si piū fuit Reges Ro. illos verè Chriſtianos à Conſtātino Magno vſq; ad Honorij A. ætatem, clauū crucis diademate ſuo præferre, ac veluti in pompam victo per Chriſtum orbi circumferre, an impietas cenſenda, ſi ad excitandam piis Dei cultoribus deuotionem,religioniſque ardorem Chriſtus Dominus ipſe diuinis afficiatur honoribus,piiſque honoretur cultibus? Non inſolentia iſta, ſed pietas, cùm defertur ſacræ redemptioni, aiebat Ambroſius

Clauū Crucis AA. diademate ſuo præferūt ac veluti oſtentabundi circumferunt.

in D.

in D.Helenæ repræhensores,inuidosq; censores. An non multo magis est non insolentia,sed Germana pietas, cum defertur ipsi Christo redemptori? Certè ita totus semper orbis Christianus Do. Deum Christum coluit & adorauit,siue in pia eleuatione,quæ in mysteriis peragitur; siue processione, quæ aut intra Templi ambitum,vti apud Grçcos;aut vbi per religionis hostes licet, per cæmiterium. Vbi enim legitimam censeas S. Eucharistiæ in mysteriis eleuationem, improbare non poteris piam circumgestationem.

Eleuatio S. Eucharistiæ plerisque Lutheranis etiamnum probatur: & vbi paulatim exoleuit, nullo negotio recipiatur, vti liquet, ex respōso Theologorū Saxoniæ anno 49.

Hanc verò S. Eucharistiæ in mysteriis solemnem eleuationem quanquam pleriq; Protestātium paulatim aboleuerunt: tamen præstantissimi quique, & qui sese Germanos iactitant Euangelicos eam aut retinent,aut recipere nō recusant. Quēadmodum videre est in actis conuētus Cellç Mysorum, anno 49. die 16. Nouem. vbi Georgius Princeps ab Anhalt,& cæteri Theologorum Georgius maior,Pomeranus, Camerarius cum
» reliquis hunc in modum ad postulata Consiliariorum illustris.
» Principis Mauritij Electoris de missa & aliis religionis capitibus respondent. Postquam initiò asseruissent fol. Tt.4. Actorū de Interim VVittenbergæ An. 59. excusis,Salis vsum,vti & cereos,& Candidam posse in baptismate concedi, eumq; fuisse
» retentum in Ecclesia VVittenbergeñ. D. Luthero (aiunt) per-
» mittente,qui anno primum superiore LVIII. vsurpari desijt.
» Deinde Sacerdos vna cum administro,inquiunt fol. Vu. 2. recitet Confiteor flexis genibus antè altare,posteà Introitus, Kyrie eleison,tum præfatio Latinè,Sanctus,Pater noster, Verba testamēti Germanicè cum Eleuatione. Sub communione cantant Agnus Dei,si multi sint communicantes. Ex hoc plano Theologorum Saxonicorum responso liquet cum Protestantibus facilè de Eleuatione conuenire posse. Quod luce clariùs ex publica Ecclesiarū Daniæ & Nortwegiæ ordinatione cōprobetur. Ea enim fol. 8. anno 37. edita sic constituit. Vt mox à verbis consecrationis,inquit,decēti eleuatione minister,si videbitur, eleuet,sonantibus interim cymbalis,iuxta consuetum. De hac igitur eleuatione S. Eucharistiæ si ex ordinatione Ecclesiastica regnorum Daniæ & Nortwegiæ, ducatumq; Sleiswycen. & Holtsatiæ,vti & ex præclaro illo Theol. Saxonicorum responso inter

Saxones Duci Mauritio respōdent, recipi posse salis vsum & cereum in Baptismo.

Confiteor flexis genibus.
Præfatio Latine, Sanctus.
Verba consecrationis cū Eleuatione.

Idem liqueat ex ordinatione Ec. Daniæ, Norvvegiæ, & cæt. quæ præscribit Eleuationem sonātibus interim cymbalis.

inter nos re vera cõueniat, ſicuti & de adoratione Chriſti in S. Euchariſtia iam conſenſio monſtrata eſt, nullo negotio & illa controuerſia de circumgeſtatione ſopiatur. Si enim piæ huius rei ſanctiſſimus vſus cogitetur, ſcopusq́; cõſideretur, nõ fuerit difficile iſtá ſarcire inter Eccleſias diſſidẽtes diſcordiam. Siquidem apud vtraſq; eadem ſunt colendi Chriſti Do. in Euchariſtiæ Sacramento præſentis principia: eſt communis paſſim Eleuatio, eſt communis cereorum accenſio, organorum pulſatio, cymbalorum crepitatio, muſicorum concentus; communis cantus, Diſcubuit Ieſus, Pange lingua, & Agnus Dei miſerere nobis. Eſt item communis vtriſque adoratio, teſtibus Luthero, Bucero, & Ioach. Weſtphalo; eſt communis pia ſuper ſericis proſtratio & geniculatio; eſt denique communis religioſa Chriſti Dei inuocatio. Quid igitur cõcordiam hic impediat amplius, modò publicè facere non pudeat, quod priuatim, ſiue in templo magna & ſingulari adeò geritur pietate?

Facillima concordia de circũgeſtatione S. Euchariſtiæ: cum iam ſit conſenſus de Eleuatione, de reſeruatione, & adoratione cũ ſanioribus Cõfeſſioniſtis.

Quare illorum venenata ſibila non ſunt audienda, qui pacis cauſa ce nſent præfractis aliquot concedẽdum, vt pia hæc S. Euchariſtiæ circumgeſtatio tollatur de medio. Sunt enim qui mediatorum ſiue pacificatorum perſonam ſibi ſumentes vt funeſta iſthæc religionis diſſidia in Ro. Imperio componãt, nihil abſurdi fore putãt, ſi hæc ſolemnis S. Euchariſtiæ circumgeſtatio aboleatur: immo citra Eccleſiæ damnum, atque adeò cum eius lucro (inquiunt) ſi modò id prudenter fiat, eam omitti poſſe. Quàm verò iſtud Sophiſticis moliantur perſuadere paralogiſmis, friuoliſq́; magis quàm argutis captiunculis, permagnum fuerit operæpretium declaraſſe.

Contra illos pacificatores, qui tollendam ſuadent pacis cauſa S. Euchariſtię circumgeſtationem.

Sacramenti honor, inquiunt, diu ſine circũgeſtatione conſtitit, & hodie conſtare poteſt. Poteſt quidẽ, vt videmus per Turciam apud Chriſtianos; ſed an citra pietatis damnum ex more publico tollatur res, cùm licita, tum honeſta, communi etiam nunc prouinciarum omnium Chriſtianarum vſu, pioque conſenſu celeberrima, viderint iſti pacificatores: qui vt Phariſaico quorundam ſcandalo eant obuiam, malunt inſanorum medicorum more toti Eccleſiaſtico corpori vulnus graue infligere, quàm vni, aut alteri membro ſemilanguido veram atque ſolidam medicinam adhibere.

Refelluntur Sophiſmata cõtra circumgeſtationem.

Quid enim, si honor Sacramenti diu sine circumgestatione constitit, hodiéque constare possit, an igitur suadeas abolendā? Atqui & sine templis diu constitit religio Christiana: num igitur & hæc abolenda? Certè si scopum istorum pacificatorum quis probè habeat perspectum, videbit mox, si ipsorum cōsilia ordines Ro. Imperij sequantur, (quod omē Deus auertat propitius) confusionem futuram bis ter Babylonicam, Barbarieq́; omnibus incredibilem: quæ longè plus negotij facesset tranquillandæ Reipubl. quàm nunc est metuendum. Rempubl. enim quæstui habentes permiscere student confessionem confessioni, ritus ritibus, fidē perfidiæ: immo & illa abolere clanculum, vnde non exigua oriatur totius Christianæ religionis ruina. Verùm de hoc argumento alibi oportuniùs. Nunc igitur rationes expendamus, ob quas istam solemnem circumgestationem volunt abolitam. Sed Ecclesiæ lucro, inquiunt, omitti possit.

Quod mihi, quæso, dicitis lucrum? Equidem pietatis, aut religionis lucrū non video, nisi quale in abolendis cereis ad fidei mentem illustrantis testificationem pridem piè in templo accensis, aut corollis siue rosariis precatoriis, ad quæ suas maiores nostri recitabant religiosè admodum preces. Sublatis enim istiusmodi piis ceremoniis, res illarum occasione gerenda haud infrequenter tollitur: quod nunc de populi à precandi ritu alienissimi moribus pij omnes ferè vbique deplorant. Quis autem inficias iuerit, occasione solemnis processionis, quæ S. Eucharistiæ præsentia decoratur, non modò plures ad preces publicas confluere: sed ardētiùs, adeóque confidentiùs orare atque comprecari?

" Atqui hodie (aiunt) plerumque non deuotioni populi, sed " pompæ magis & ostentationi illa circumgestatio seruit. Certè " ad excitandam populi in Deum pietatem atque deuotionem est instituta, & hoc fine peragitur: à quo si alicubi discessum est, iam patet, quo sit redeundum: neque verum est, plerumq; ostentationi, & non deuotioni populi illam seruire; cum nunquam nisi deuotionis in Deum excitandæ causa indicatur aut peragatur. quod si populi leuitas, aut pastorum rusticitas, aut quorundam imprudens simplicitas huic rei sanctiss. quæ-

dam

dam admisceat,quæ minus videantur aut decora,aut consentanea,non propterea res suo vsu ad pietatis incrementum vtilissima erit de medio tollenda.

Tollantur quæ verè offendunt; si quæ pios,& non Pharisaico potius supercilio morosos offendunt. Sed quid pios offendát,obsecro,aut tedarum & cereorum collustratio, thuris suffitus,aut rosarum,florum, herbarum per compita consparsio? aut musicorum harmonia,& cymbalorum crepitatio?an non hæc lætitiæ sunt signa omni honore atque veneratione plena? Quòd tapetis via ornatur,aut etiam sternitur; quòd aureis opulentiæ ciuicę instrumentis compita honestantur,tabulis,vestibus soriculatis, gausapibus myrtheis, stragulis Aegyptiis, omnique cultu superbissimè decorantur,vti Parisiis festo V.Sacramenti solemne est;ecquid obsecro habet mali? An tali pōpa Rex Galliæ videatur indignus? An quod homini fiat legitimè,si Do. Deo,Regi Regum fiat,illegitimum censebitur?Non insolentia ista, sed pietas est, cum defertur Christo Domino creatori atque redemptori.

Sed vir summi iudicij Alb. Crantzius(inquiunt) Nicolaum Cusanum laudat,quod abusum Sacramēti Eucharistiæ in nimis frequenti eius per singulas V. ferias circumgestatione sustulerit; vt nisi inter octauas V. Sacramento dedicatas in publicum non deferretur. Nemo est qui inficietur,rerum,etiā optimarum,abusum posse irrépere:sed hoc sublato, ad legitimum vsum est redeundum. Causam iustissimam R. V. Card. Cusano,cur ita censuerit,fuisse,nihil dubito:non tamen planè abolendam S.Eucharistiæ circumgestationem istis cum pacificatoribus voluit vir summi iudicij Cusanus: sed multò reliquit confirmatiorem. Equidem memini R. V. Ruardū Tapperum Louan. Cācellarium quibusdam Pastoribus indignari solitum, quòd leuiculis de causis,ac qualibet ferè Dominica in populi conspectum proferrent S. Eucharistiam: quos & grauiter obiurgare,ac ne amplius facerent, solet vetare.

Exemplum Cusani Card. non abolere circumgestationē: sed confirmare, adeóq; exornare: quia voluit esse rariorem.

Ruevvardus Tapperus solet immodicas S. Eucharistiæ ostensiones reprehendere.

Itaque hæc grauissimorū virorum moderatio vt legitimum ac statum,solemnemq; omni cum veneratione vsum non tollit,ita offendicula fortassis infirmorum amouerit,neque magis hanc circūgestationem, quæ debita cū veneratione fiat,tollit,

quod ex Alb. Crantzio adferũt, nõ esse S. Eucharistiã à cælesti magistro ad ostẽtationẽ, sed ad esum institutã, quàm eiusdem adorationẽ: cum vtramq; ad cælestis magistri Christi Do. illic certò præsentis honorem amplificãdum pertineat; quem nemo pius suo Domino exhiberi vetet, aut etiam augeri.

Ab instituto Vrbani 4.

Porrò quod postremò loco ex Vrbano adferunt, nullius est momenti. Certum est (inquiunt pacificatores illi) festum V. Sa„ cramenti non ad circũgestationem institutũ, sed celebriorem „ conuentum; & vt homines sese illo die ad S. communionem „ veneranter suscipiendam prepararent. „

De origine solemnis festo V. Sacramẽti processionis, quę S. Eucharistiæ habet circumgestationem.

Sed vnde, obsecro, certum est, solemni piorum communioni ab Vrbano non fuisse adiunctam solemnem etiam V. Sacramẽti circumgestationem? Certè qui occasionem atq; scopum illius festi ab Vrbano quarto instituti prudenter iuxta illorum temporum historias expenderit, videbit, opinor, non pro absurdo habendum, si quis ad illius festi originem istam solemnem pertinere dicat S. Eucharistiæ circumgestationem: quæ stato anni die, tam solemniter toto Christiano orbe celebratur.

Ann. Do. 1266. Festũ V. Sacramenti, cur institutum.

Quò enim reliquias Sacramentariæ hęreseos per Berengarianos & Albigenses hæreticos passim per Gallias & alibi tunc temporis grassantes Vrbanus semel aboleret, festum illud sub annum Do. 1266. instituit: quo die omni honoris pompa & publica omnium Christianorum lætitia V. illud Sacramentum voluit omnibus prosequendum. Iam quis piorum negarit eximios Christo Do. honores (si vnquam aliàs) publica hac processione exhiberi? quos nullus dixerit immodicos, nisi q̃ suę salutis oblitus Christo Do. reperiatur inuidus. Quòd si ad S. cõmunionem languescẽs in dies magis populi deuotio posset illo die accendi, magnum sanè fuerit veræ pietatis operæpretium; ad quam omnes quidẽ Pastores & Confessarios pro virili hortari & extimulare suos optandum esset. Verùm si populi Christiani tepor & languor aut depelli, aut vinci non potest totus, an propterea Christum Do. suo honore frustrandum dicemus, qui tam publico regionum omnium consensu iam pridem est introductus, & annua in hunc vsque diem nusquam nõ summa Christianorum omnium pietate simul & veneratione obseruatus? Sed de his aliisq; leuioribus dissidiis facillimè cum

Con-

Confeſſioniſtis,ſiue ordinibus Proteſtantium ſarciatur cōcordia. Refutatis enim leuiculis illis ratiunculis, quibus pacificatores quidā perſuadere conantur S. Euchariſtiæ circumgeſtationem lucro, eóque (ſi Chriſto placet) magno Eccleſiæ omitti poſſe, immo, citra Eccleſiæ damnum, eſſe abolendam: nunc videamus quanta temeritate ſit conſilium eorum coniunctum, quanta turbatione plenum.

Tollatur igitur, ſi videbitur exempli cauſſa, Cæſareo edicto, ſiue Comitiali decreto publica hæc S. Euchariſtiæ circumgeſtatio, vti pacificatores iſti ſuadent; an non pacificatione iſthac inconſulta nouum feceris diſſidium de pia in myſteriis S. Euchariſtiæ eleuatione? Hanc enim plerique Proteſtantium ſenſim, ſuo à Luthero & Eccleſiæ VVittenbergenſi degenerantes paſſim aboſeuerūt. clamitabunt iſti ſeſe illa licèt ſolemni & vſitata hactenus, non minùs offendi, quàm ſolemni circumgeſtatione: quòd vtriuſque rei eadem eſt cauſſa, idem vtriuſque ſcopus; puta Chriſti in Euchariſtia adorandi. alij oggannient tollendos & cereos diuini honoris teſtes: alij cymbala crepitantia, hymnos Latinos, Pange lingua, & muſica organa: alij ſtrata ſerica; alij denique detrahent aliud: quo ſine Sacramenti honor conſiſtat.

Quantarū turbarum ſint authores in Rom. Imperio iſti pacificatores, qui abolēdam ſuadent ſolēnem S. Euchariſtiæ circumgeſtationē.

Si igitur quibuſdam offenſionis vitandæ cauſa ceſſeris abolendam S. Euchariſtiæ circumgeſtationem, alijs cedenda erit eadem ex cauſſa Eleuatio: aliis Cerei; aliis Cymbala; & ea denique omnia, quæ vllam vel inſano capiti videbuntur diuini honoris ſpeciem complexa. Hæc autem aboleri non poſſe apud Proteſtantes citra grauiſſimam huius pacis, quæ hactenus ſatis tranquilla perdurat, perturbationem; nemo eſt qui non videt. Proinde hiſce ex vnguiculis facilè tales noſcantur Pacificatores, quidnam ſpectent, quidue monſtri alant.

Siquidem blanda optatæ omnibus Eccleſiaſticæ concordiæ ſpecie, laruáque verſipelli nouum inuehunt Eccleſiis diſſidium, nouumq́; pariunt Eccleſiæ bellum; quo atrocius infelicia eius porrò diſcerpantur viſcera, ſæuius dilanientur, & maiorem in concordiæ deſperationem præcipitentur.

Quæ namque coaluere propemodum vulnera paricidali

isthoc schismate inflicta, nunc blando pacificationis pretextu dissiliant, asperiusque incrudescant. Non enim leuia, nec exigui sanè momenti equidem habeo concordiæ, re vera solidæ, atque Euangelicæ cum Protestantibus constituenda capita; quæ sita sunt in consentanea, & vtrique parti probata, hactenusque vsitata S. Eucharistiæ pia eleuatione, religiosa geniculatione, diuinaque adoratione. His enim fundamentis ex fide verè Christiana (vti pars vtraque docet, corde credit, & ore profitetur) solide iactis, quisnam adeò vecors sit, qui non videat perspicuè certam nunc redapertam viam ad solidam Ecclesiarum pacem (quæ non parùm hac S. Eucharistiæ circumgestatione à Caluinizantibus Confessionistis vexatur ac distinetur) certò perinde ac solide nullo negotio sarciendam?

Sarciendę apud Germanos in fidei dogmatibus cõcordię quam sint iam nũc certa iacta fundamenta.

Hac enim controuersia, quæ de venerabilis adorandique, vti Lutherus ait, Sacramenti etiam superest, circumgestatione commodè sopita, facilior sit ad alias quæstiones Ecclesiæ perturbatrices componendas via. nam si Protestantes vna nobiscum verè sentiant Christo Domino in S. Eucharistia præsenti honorem omnem diuinum exhibendum, ipsumque non superstitione, sed pro excitanda piorum deuotione; non ad inanem populi ostentationem, sed ad religionem Deo exhibendam circumferri; facilior etiam de reliquis controuersis capitibus inter nos conueniat.

Saxones recipere sunt parati festum corporis Christi.

Eò namque, Deo Opt. gratia immortalis, Controuersiarum de S. Eucharistia status promouit, haud sanè infeliciter vt festum corporis Christi Saxones facillimè suas in Ecclesias recipiant, quemadmodum liquet in designatione rituum per Consiliarios Mauricij Ducis conscripta ex actis Torgæ atque Cellæ Mysorum, anno 49. die 19. Nouembr. quando de admtitendo Interim tractabatur.

» Vbi inter alia rituum seruandorum capita recensuissent ba-
» ptismum cum exorcismo, & vnctionem Olei ægrotorum, In
» cathalogo festorum, fol. ij. 3. b. annumerant festum Corpo-
» ris Christi.

Proinde cum habeamus Catholici cum sanioribus Confessionistarum ordinibus communem S. Eucharistiæ in my-

steriis

ſteriis piam Eleuationem, religioſam ſuper ſericis geniculationem, cereorum accenſionem, diuinam denique adorationem, & Chriſti Dei inuocationem, an cuiquam de re minoris momenti deſperandum, ne facilis coëat inter fratres diſſentientes concordia? Certè quibus ex animo & fide non ficta perſuaſa eſt Chriſti Domini in Euchariſtia adoratio, & feſti corporis Domini obſeruatio, non poteſt non probari omnis ei honor, quauis venerationis ſpecie exhibitus, ſiue heneſta & decenti eleuatione, ſiue heroica reſeruatione, ſiue auguſta denique circumgeſtatione.

Faceſſant igitur iſti malè ominati pacificatores, qui ſolida certaque concordiæ Eccleſiaſticæ ſarciendæ capita, indubiaque pacis poſt liminiò reſtituendæ fundamenta adhuc ſalua ſiue recuperata callidis ſuis, iiſque ſi non malignis, certè inconſultis pacificandæ Reipubl. Conſiliis non ſolum ſurripere conantur; ſed noua etiam infligere vulnera: quibus tandem totum ſemel corruat Imperium Romanum; tot inteſtinis nunc diſſidiis ſaucium, afflictum, ac tantum non labefactatum. Sed vela nobis contrahenda ſunt, vt ad reliquas controuerſiarum inter Catholicos, & Ordines Proteſtantium Antitheſes recto tramite decurrat oratio.

Cùm igitur Catholica Chriſti Eccleſia in pia de S. Euchariſtiæ Sacramento conuerſis in corpus Domini pane vinoque honorificè in ægrotorum vſus ſeruando, religiosè adorando, atque de ſacrificio propitiatorio doctrina ſequatur nihil, niſi quod Scripturarum ſententiis ſit conſentaneum, & Orthodoxorum PP. ſententiis congruum, adeóque conſenſu Eccleſiarum omnium perpetuo confirmatum & conteſtatum, non iuſta eſt cauſſa, cur Confeſſioniſtæ ob errores Catholicis affictos ab eorum communione diſcedant; puta ob doctrinæ (vti aiunt delecti iſti Patroni) Euangelicæ corruptelas, has illi apud imperitos ſuis præſtigiis faſcinatos inaniter vaniſſiméque crepitant; ita nos eas iam nullas eſſe demonſtrauimus: quæ Schiſmatis iuſtam dare queant occaſionē Illuſtriſſ. Ro. Imperij Principibus aut Clementiſſ. Proteſtantium ordinibus à Catholica Dei Eccleſia diſcedendi, aut diutiùs emanendi. quod magis ex reliquo Antitheſeon liqueſcat catalogo: quas ſimili

Epilogus V. Antitheſeos, cum Tranſitione ad reliquas controuerſiarum Antitheſes.

Me-

Methodo pariq́ue breuitate, quãtum quidem res ſanè per-obſcura, copioſéque non minùs quàm latè diffuſa patietur, pro virili annitemur Chriſto aſpirante atque propitio explicare.

Finis primæ partis Apologetici Religionis Catholicæ: quæ habet quinque doctrinæ controuerſæ Antitheſes, ab Anonymis Confeſſionis Auguſtanæ Patronis ſolidè non minùs quàm luculenter refutatas. Reliquas ſecunda pars dabit, quæ propediem in lucem edetur.

Liber hic tum eruditis, tũ Catholicis omnibus, ob materiæ vtilitatem, rerumq́ue amplam cognitionem non mediocriter profuturus, præcipua religionis noſtræ capita ſolidis ſcripturis, Patrum teſtimoniis & rationibus ſtabiliens, aduerſariorumq; conatus veluti à fundamento euertens, dignus eſt qui in hominum manus exeat.

Frater Petrus Bacherius S. Theologiæ Licentiatus Prior Prædicatorum Hagæ.

Liber hic digniſſimus eſt qui typis excudatur, & omnium manibus verſetur, cum ob ſolidam, quam habet de grauiſſimis fidei noſtræ articulis doctrinam ad vacillantes confirmandos; tum quòd noſtri temporis hęreticorũ calũnias & ſycophãtias inſigniter inhibeat: quod atteſtor,

Sebaſtianus Baer Delphius, inſignis Collegiatæ Eccleſiæ S. Mariæ Hantuerpien. Plebanus.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIÆ *Maieſtatis priuilegio cautum eſt, ne quis citra Chriſtophori Plantini Typographi iurati Antuerpienſis voluntatẽ, hunc librum, cui titulus eſt,* Apologeticum ad Germanos, pro Religionis Catholicæ pace, & cæt. Auctore Reuerendiſſ. VVilhel. Damaſi Lindano Dordraceno, Epiſcopo Ruremun, *ante ſexennium imprimat, aut alibi impreſſum importet venalemùe habeat, intra omnes eius ditionis fines. Qui ſecùs faxit, confiſcationis librorum, & pœna fiſco regio exſoluenda mulctabitur, vt latiùs patet in ipſo diplomate, dato Bruxellæ, Anno Domini* M. D. LXVIII. XXI. *Auguſti.*

Signat. I. de Witte.


AXIMILIANVS II. *Diuina fauente clementia electus Romanorũ Imperator semper Augustus; Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ, &c. Rex; Archidux Austriæ; Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtenbergæ; Comes Tyrolis, &c. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium vniuersis: inter alia maiorum nostrorum consilia, illud haud postremum fuisse comperimus, vt ad Imperij Romani decus & dignitatem plurimum facere arbitrarentur, non minus rem litterariam, quàm militarem disciplinam propagare: quòd litterarum monumentis, quidquid fortiter & præclarè gestum esset, illustrari cognoscerent, & æterna memoria consecratum ad posteros ita transmitti, vt tam exteris quàm domesticis populis exemplo ad virtutem esse posset: quodq; optimarum artium studia, & quidquid ad humanæ vitæ cultum atque vtilitatem in quaque arte fuisset excogitatum, litteris & contineri, & conseruari optimè didicissent. Illorum nos laudatis vestigijs insistere summo studio cupientes, dignum imprimis duximus, prudenter & accuratè cauere; vt si quis ad eam rem quidquam vel industria vel laboribus & impensis suis contulerit, ne huic fraudi beneficium publicum sit.* CVM *itaque sincerè nobis dilectus Christophorus Plantinus ciuis & typographus Antuerpiensis nobis humiliter exponi curarit; se veteres nonnullos auctores, vel nunquam antea visos, & raros, vel emendatiores, aliaq; opera magni momenti; inprimis verò Biblia Hebraica, Nouum Testamẽtum, Eunapium de vitis Philosophorum, Illustrium de poëtis, Nonium Marcellum, Petronium Arbitrum, omnes veteres Poëtas correctos vel commentarijs illustratos: Emblemata Sambuci, Dictionarium Hebraicum, Dictionarium Græcum, L. Iulium Florum de Gestis Romanorum cum Commentario Ioannis Stadl, & si quæ huius generis alia, vel antea non edita, vel emendatiora, locupletiora, auctiora, & illustriora facta sunt, quacunque in lingua, imprimere constituisse: vereri autem, ne quod sæpenumero vsu venire consueuerit, alij nonnulli, qui alieno labore & industria partis, fucorum more inhiare, & frui soleant, ea quæ ille magnis sumptibus & impensis collegerit, & typis procuderit, mox ad suum compendium, minore sumptu & labore imitentur, atque effingant, illiq; labor omnis, sumptus & impensæ, omne quoque lucrum & laboris præmium, atque adeò (quod dici solet) oleum & opera pereat: ideoq; suppliciter à nobis petierit, vt contra huiusmodi improbos quorundam lucri cupidorum conatus, fraudem & iniurias, Priuilegij nostri prærogatiua munire illũ dignaremur.* NOS *huiusmodi illius precibus æquis & iustis benignè annuẽtes, & prædicti Christophori Plantini honestos conatus promouere atque indemnitati illius quàm maximè consultum cupientes, hoc publico edicto cautum volumus, & sancimus, ne quis cuiuscunque status, gradus, ordinis, aut conditionis fuerit, quacunque sacri Romani Imperij & ditionis nostræ fines patent, deinceps prædicta, aut alia quæcunque probatorum auctorum opera, quotquot vel hactenus nondum impressa, vel ab alijs quidem impressa, nouis autem deinceps scholijs, annotationibus, aut cõmentarijs aucta & illustrata, præfatus*

fatus Plantinus primus typis procuderit, intra proximum sexennium à prima cuiusque operis aut voluminis editione vllo pacto eiusdem vel diuersi characteris forma excudat, aut excusa ab aliijs intra nostros & Imperij fines vendenda importet, seu quouis modo distrahat manifestè vel occultè, sub pœna decem Marcharum auri puri, quarum dimidia fisco nostro Imperiali fraudis vindici, residua verò pars pranominato Plantino cedat, præter librorum, sicut præmittitur, ad imitationem impressorum amissionem, quos idem Plantinus vbicumque locorum nactus fuerit per se, vel suos, adiumento magistratus loci, vel citra, propria auctoritate sibi vendicare, inque suam potestatem redigere potest. In cuius rei fidem præsenti edicto manu nostra subscripsimus, & sigillum nostrum apponi iussimus. Datum in ciuitate nostra Vienna Austriæ, die XXI. mensis Februarij, Anno Domini M. D. LXV. Regnorum nostrorum, Romani. III. Hungarici, II. Bohemici verò XVII.

MAXIMILIANVS.

Ad mandatum sacræ Cæs.
M. proprium.

Haller.

EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS
PLANTINVS ANTVERPIAE
XV. FEBRVARII, ANNO
D. CIↃ IↃ LXIX.